AUTHOR:

SINGELS, NICOLAAS
JAN

TITLE:

DE LUCANI FONTIBUS AC
FIDE COMMENTATIO.

PLACE:

LUGDUNI-BATAVORUM

DATE:

1884

Master Negative #

93-81476-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Singels, Nicolaas Jan
De Lucani fontibus ac fide commentatio. Specimen literarium inaugurale quod ... submittet Nicolaus Ioannes Singels ... Lugduni-Batavorum, apud S. C. van Doesburgh, 1884.
152 p. 23 cm.

Thesis, Leyden, 1884.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/10/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE LUCANI FONTIBUS AC FIDE COMMENTATIO.

DE LUCANI FONTIBUS AC FIDE COMMENTATIO.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

D. DOIJER,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET IN FACULTATE MED. PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARIUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

in Academia Lugduno-Batava

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

NICOLAUS IOANNES SINGELS Hadriani Filius,

LEOVARDIENSIS.

PRID. KAL. IUL. A. MDCCCLXXXIV, HORA XI.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. C. VAN DOESBURGH.
MDCCCLXXXIV.

EX TYPOGRAPHEO FRATRES MURÉ.

AVUNCULO OPTIMO CARISSIMO,

OLIM TUTORI,

FRANCISCO HAVERSCHMIDT

SACRUM.

CAPUT PRIMUM.

VITA LUCANI.

Quae regio aetate imperatoria multos viros genuit in historia litterarum Latinarum insignes, duos Senecas, Columellam, Martialem, Quinctilianum, alios plus minusve notos, quos omnes enumerare longum est, ea Lucano quoque patria est. Felix et beata tellus Baetica vocatur a Statio, quae Lucanum potest imputare terris [1]. Lucanus enim Cordubensis erat; civis igitur eius urbis, quae in amoenissima Hispaniae parte sita, tam opibus, quam litteris per longum iam tempus floruerat.

Genti Annaeae, e qua Lucanus oriundus fuit, iam clarus rhetor M. Annaeus Seneca gloriam insignem pepererat. Huic uxor Helvia tres liberos genuerat, Marcum Annaeum Novatum, Lucium Annaeum Senecam, Marcum Annaeum Melam.

Novatus testibus Cassio Dione et Tacito adoptatus esse videtur a rhetore Lucio Iunio Gallione, cui fratris Senecae nomen ab ambobus scriptoribus datur [2]; frater igitur est in Statii

---

1) Stat. Silv. II. 7. 24.

2) Cass. Dio. LX. 35. ὅθενπερ Λούκιος Ἰούνιος Γαλλίων ὁ τοῦ Σενέκα ἀδελφὸς ἀστειότατόν τι ἀπεφθέγξατο.

Tac. Ann. XV. 73. Iunium Gallionem, Senecae fratris morte pavidum increpuit Salienus Clemens.

Genethliaco Lucani dulcis vocatus [1]), cuius *σκῶμμα ἀστειότατον* Cassius Dio servavit: *τὸν Κλαύδιον ἀγκίστρῳ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνενεχθῆναι* [2]).

De Lucio Annaeo Seneca pluribus disserere opus non est, quum quae plurimi de eo scripserint, omnes in promptu habeant. Transeundum igitur est ad Melam Lucani patrem. Mela eques erat dignitate sentoria [3]) qui per ambitionem praeposteram honorum petitione abstinuerat, ut Eques Romanus consularibus potentia aequaretur. Pater Seneca in Controversiarum Praefatione eum maioris ingenii fuisse dicitur quam fratres; virilis animi et strenui, omnium bonarum artium capacissimum. In Epistola eum Seneca alloquitur: aversum ab omni ambitione, abhorrentem a civilibus officiis.

Licet Mela honores gerere noluisset, pecuniae adquirendae facultatem sibi negari passus non est: negotiis principis administrandis, ut Tacitus refert, procuratoris munere fungebatur, quod munus Augusti aetate in Caesaris provinciis quaesturae loco institutum erat, quum procuratores in senatus provinciis fisco praeessent, quaestoribus aerarium curantibus. E quo munere Mela propositum assecutus magnam rem fecit, siquidem divitias Lucani profluxisse ex paternis opibus statuere fas est. Melam divitem fuisse ex Neronis avaritia quoque intelligitur, qui eius opibus inhians litteras fingendas curavit, e quibus coniurationis conscientia inter Melam patrem et filium Lucanum appareret. Vix igitur dubitari potest quin Melae divitiae satis magnae fuerint, ut quae Neronem omni religione sublata ad facinus perpetrandum accenderint.

---

1) Stat. Silv. II. 7. 30.
2) Cass. Dio. LX. 35.
3) Tac. Ann. XVI. 17.

Uxorem Mela Aciliam duxerat, filiam rhetoris haud mediocris famae, nomine Acilii Lucani. Eam quoque Cordubae natam esse e gente nobili et plebeia Acilia Vacca nos certiores facit. Lucanus ipse originis matris memor, Acilium quendam laudibus extollit, qui pugna navali manibus amputatis pectus fraternum corpore tegens et a telis defendere conatus, crebris cuspidibus confixus perstitit [1]).

Aciliam tam marito quam filio superstitem fuisse ex Tacito apparet. Nam Pater Lucani post filii mortem Fabium Romanum in iudicium vocavit, rem familiaren filii acriter appetens. Is enim Romano, qui ex intimis suis erat pecuniam commodasse videtur. Mela deinde Neronis avaritia, supra commemorata, coactus sibi mortem conscivit [2]) quum alio loco [3]) Tacitus nos docet Aciliam post coniurationem Pisonis detectam, quae filii totque insignium virorum causa erat mortis, sine absolutione, sine supplicio dissimulatam esse.

Ex illa muliere Lucanus poëta natus est a. d. Non. Nov. Ann. DCCXCII U. C. (3 Nov. 39 p. C. N.) Caes. Aug. Germ. II Luc. Apronio Caesiano Coss. Praenomen Marci ab avo paterno, cognomen Lucani a matris patre accepit [4]).

Priusquam autem ipsam Lucani vitam tractare aggredimur, fontes indicare opus est e quibus notitia eius hauriri potest. Reliquiae deperditorum librorum, Suetonio vulgo tributae, nobis

---

1) Luc. Phars. III. 603. Confer. Schol. Luc. IIII 624.
2) Tacit. Ann. XVI 17.
3) Tacit. Ann. XV. 71.
4) Lucani cognomen in litteris Romanis etiam apud notissimum patronum Terentii, comoediarum scriptoris, Publium Terentium Lucanum invenimus; quum Caesar de Bello Gallico (V. 35) primi pili eiusdem nominis mentionem facit. Deinde tria Martialis epigrammata ad quemdam Lucanum scripta legimus. [I. 36. VIII 75. IX. 38.]

Genethliaco Lucani dulcis vocatus [1]), cuius *σκῶμμα ἀστειότατον* Cassius Dio servavit: *τὸν Κλαύδιον ἀγκίστρῳ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνενεχθῆναι* [2]).

De Lucio Annaeo Seneca pluribus disserere opus non est, quum quae plurimi de eo scripserint, omnes in promptu habeant. Transeundum igitur est ad Melam Lucani patrem. Mela eques erat dignitate sentoria [3]) qui per ambitionem praeposteram honorum petitione abstinuerat, ut Eques Romanus consularibus potentia aequaretur. Pater Seneca in Controversiarum Praefatione eum maioris ingenii fuisse dicitur quam fratres; virilis animi et strenui, omnium bonarum artium capacissimum. In Epistola eum Seneca alloquitur: aversum ab omni ambitione, abhorrentem a civilibus officiis.

Licet Mela honores gerere noluisset, pecuniae adquirendae facultatem sibi negari passus non est: negotiis principis administrandis, ut Tacitus refert, procuratoris munere fungebatur, quod munus Augusti aetate in Caesaris provinciis quaesturae loco institutum erat, quum procuratores in senatus provinciis fisco praeessent, quaestoribus aerarium curantibus. E quo munere Mela propositum assecutus magnam rem fecit, siquidem divitias Lucani profluxisse ex paternis opibus statuere fas est. Melam divitem fuisse ex Neronis avaritia quoque intelligitur, qui eius opibus inhians litteras fingendas curavit, e quibus coniurationis conscientia inter Melam patrem et filium Lucanum appareret. Vix igitur dubitari potest quin Melae divitiae satis magnae fuerint, ut quae Neronem omni religione sublata ad facinus perpetrandum accenderint.

---

1) Stat. Silv. II. 7. 30.
2) Cass. Dio. LX. 35.
3) Tac. Ann. XVI. 17.

Uxorem Mela Aciliam duxerat, filiam rhetoris haud mediocris famae, nomine Acilii Lucani. Eam quoque Cordubae natam esse e gente nobili et plebeia Acilia Vacca nos certiores facit. Lucanus ipse originis matris memor, Acilium quendam laudibus extollit, qui pugna navali manibus amputatis pectus fraternum corpore tegens et a telis defendere conatus, crebris cuspidibus confixus perstitit [1]).

Aciliam tam marito quam filio superstitem fuisse ex Tacito apparet. Nam Pater Lucani post filii mortem Fabium Romanum in iudicium vocavit, rem familiaren filii acriter appetens. Is enim Romano, qui ex intimis suis erat pecuniam commodasse videtur. Mela deinde Neronis avaritia, supra commemorata, coactus sibi mortem conscivit [2]) quum alio loco [3]) Tacitus nos docet Aciliam post coniurationem Pisonis detectam, quae filii totque insignium virorum causa erat mortis, sine absolutione, sine supplicio dissimulatam esse.

Ex illa muliere Lucanus poëta natus est a. d. Non. Nov. Ann. DCCXCII U. C. (3 Nov. 39 p. C. N.) Caes. Aug. Germ. II Luc. Apronio Caesiano Coss. Praenomen Marci ab avo paterno, cognomen Lucani a matris patre accepit [4]).

Priusquam autem ipsam Lucani vitam tractare aggredimur, fontes indicare opus est e quibus notitia eius hauriri potest. Reliquiae deperditorum librorum, Suetonio vulgo tributae, nobis

---

1) Luc. Phars. III. 603. Confer. Schol. Luc. IIII 624.
2) Tacit. Ann. XVI 17.
3) Tacit. Ann. XV. 71.
4) Lucani cognomen in litteris Romanis etiam apud notissimum patronum Terentii, comoediarum scriptoris, Publium Terentium Lucanum invenimus; quum Caesar de Bello Gallico (V. 35) primi pili eiusdem nominis mentionem facit. Deinde tria Martialis epigrammata ad quemdam Lucanum scripta legimus. [I. 36. VIII 75. IX. 38.]

Vitam Lucani tradidere; cuius autem cum Hieronymi breviario congruentis Suetonius revera auctor esse videtur. Integra tamen Vita non est; deficiente in initio patris nomine dieique natalis commemoratione; quum una saltem lacuna in media exstet. Quibus ex fontibus Suetonius hauserit nescimus. Parum dubium est auctorem eius locupletissimum fuisse; nequaquam autem Lucani amicum. „Neque verbis adversus principem, neque factis exstantibus post haec (i. e. post sibi publice illatam iniuriam) temperavit", dicit Suetonius [1]; e quo verbo „exstantibus" mea quidem sententia, sequitur Suetonium ante oculos habuisse etiam alias annotationes, atque in Lucani Vita apud eum reperimus.

Alteram Vitam, benevoli et faventis viri manu scriptam, nobis servavit Vacca, grammaticus quidam, ineunte sexto saeculo, cui bis Scholiastae, usi eius verbis, nomen expositoris Lucani tribuunt. Idem Vacca ab Ugyeno quodam, qui quinque priores libros Pharsaliae in codice Monacensi scripsit, commemoratur Lucani commentator esse. Sunt qui contendant [2]) hanc, quam dicimus Vitam Vaccae, ex Suetonii Vita paraphrasi vel interpolatione conflatam esse; quae opinio mihi falsa esse videtur, primum quia nonnulla quae Suetonius enarrat, Vacca omnino non habet; deinde quum Vaccae animus erga Lucanum, quemadmodum iam supra exposuimus, laudatoris atque amici sit, quem animum Suetonius non prae se fert, qui plerumque acerbius de Lucano loquitur. Quae Vacca narrat fidem historicam habent, (sive e commentario quodam antiquissimo, sive ex aliis fontibus hausit), quum maximam partem aliunde confirmari possint. Sed fidem qualem ambabus Vitis haberi par sit singulatim in ipsis tractandis exponere libet.

---

[1]) Vita Lucani.
[2]) Barth. ad Stat. Silv. II. 7. 1.

His in transitu addere possumus et apud Tacitum in Annalibus, et apud Statium in Genethliaco Lucani nonnulla inveniri, quae quum confirment ea quae e Suetonio vel e Vacca iam novimus, tum quaedam nova et apud eos non commemorata suppeditant.

Exstat denique Epitaphium Lucani sine ulla dubitatione ad Vergiliani Epitaphii [1]) exemplum scriptum:

> Corduba me genuit, rapuit Nero. Proelia dixi
> quae gessere pares, hinc socer, inde gener.

quibus versibus nonnunquam distichon additur, quod librarius ingenio poëtico sibi placens composuit:

> continuo numquam direxi carmina ductu
> quae tractim serpant: plus mihi comma placet.

cui coniunctum in aliis codicibus tertium reperitur:

> fulminis in morem, quae sunt miranda, citentur:
> haec vere sapiet dictio quae feriet.

Proelia quae in primo disticho dicuntur, nisi fallor bellum civile est, quod saepius eo nomine: bello inter socerum et generum vocatur; ut apud Martialen IX 70:

> Dixerat: „o mores o tempora!" Tullius olim,
> Sacrilegum strueret cum Catilina nefas.
> Cum gener atque socer diris concurreret armis,
> Moestaque civili caede maderet humus.

Etiam apud Minucium Felicem Oct. 3 invenimus: generi et soceri bellum.

Lucanus ex parentibus quos supra nominavimus natus, e patria Romam tralatus est, agens octavum mensem (mense

---

[1]) Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

igitur Iunio anni DCCXCIII U. C. (40 p. C. N.)) [1]). Vacca solus huius migrationis auctor est, cui autem fidem haberi necesse est, quum Lucanum paullo post Romae erudiri videamus.

Ut medio aevo Vergilius, quasi fatidicus vates quidam et magus divino paene honore afficiebatur [2]), sic etiam de Lucano fabulae circumferebantur, quae populum eum magni fecisse testantur. Quod de Hesiodo narratur, apes cunas infantis circumvolantes in ore eius consedisse dulcemque spiritum hausisse, id in Lucano quoque aptari posse videbatur. Haec erat vaticinatio nimirum futuram pueri gloriam significans.

Lucani ingenium iam ineunte pueritia egregium fuisse etiam e Senecae verbis in Consolatione ad Helviam [3]) apparet: „Respice, inquit, ad Marcum blandissimum puerum, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia. Nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuerit, quod non circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas illius hilaritas supprimat? cuius non contractum sollicitudine animum illius argutiae solvant? quem non in iocos evocabit illa lascivia? quem non in se convertet et abducet infixum cogitationibus illa neminem satiatura garrulitas?" — Illo igitur ingenio multa in posterum promittente puer Romam tralatus magistris et

---

[1]) Nihil aliud de illa re apud quemquam scriptorem commemoratur, siquidem excipis ineptissimam fabulam, quam ludi magister quidam finxit, Neronem, post Cordubam expugnatam Lucanum et avunculum Senecam Romam secum duxisse, quae fabula a Scholiasta nimia aviditate repetitur, quippe qui eo maiore gaudio sapientiam suam ostentare videatur, quo ineptiores opiones sint.

[2]) Confer quae de ea re Creisenach conscripsit: Die Aeneis, die vierte Ecloga, und die Pharsalia im Mittelalter. Frankf. 1864.

[3]) Cap. 18. Edit. Haasii pg. 257.

praeceptoribus eminentissimis usus est totque ex eruditione fructus collegit ut, Vacca teste, intra breve temporis spatium eos ingenio adaequaret, commilitones autem profectibus superaret. Qui initio Lucani praeceptores fuerint neque Vacca neque Suetonius tradit; coniecturae minime certae quorundam grammaticorum fidem habere non audeo. Neque enim ex Taciti commemoratione [1]) Fabium Romanum ex intimis Lucani fuisse, hunc inter socios studiorum quoque fuisse nobis statuere licet. Neque igitur de Saleio Basso et Fabio Romano commilitonibus, neque de Remmio Palaemone et Virginio Flavo praeceptoribus Lucani, pro certo interpretibus credere opus est, quibus nulla explicatio ardua est. Sunt homines proverbii immemores „non omnia possumus omnes", qui omnia scire volunt, etiam ea quae sciri nullo modo possunt. Licet enim in Persii Vita, quam Probus posteritati tradidit, Flaccus dicatur apud Remmium Palaemonem artem rhetoricam didicisse, eum cum Lucano a Cornuto philosopho (de quo posthac videbimus) eruditum esse constet, ideo poëtam quoque nostrum Remmii Palaemonis ludum adiisse haudquaquam certum est.

Toga praetexta deposita, quod more maiorum anno decimo quinto fieri solebat, cultum senatorium sumsit. Quem morem si nobis statuendum est in Lucano servatum, mense Aprili DCCCVII U. C. (54 p. C. n.) noster praetextam virili toga mutavit. Neque solam virilem sed etiam senatoriam sumsit, nam, Suetonio auctore [2]), Augustus liberis senatorum, quo celerius rei publicae assuescerent, protinus a virili toga latum clavum induere et curiae interesse permiserat, militiamque auspican-

---

[1]) Annal. XVI 17.

[2]) Div. Aug. 38. 2.

tibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dederat. Patrem Melam senatoria dignitate fuisse praeditum e loco Taciti supra commemorato [1]) iam novimus. Eadem togae mutatione facile in notitiam Neronis Caesaris pervenit, quum praeterea pater Mela procurator Caesaris et Seneca avunculus principem ei εὐπρόσοδον faciebant, eumque honore vix aetati debito dignum reddebant.

Post illum annum philosophum Cornutum audiebat, apud quem consuetudine atque amicitia Persii Flacci uti incipiebat. Annaeus ille Cornutus, natus in Africa, ante Neronis principatum Romae iam vixit atque famam, scriptis suis ad philosophiam et rhetoricam pertinentibus, partam humanitate augebat, quippe qui discipulos sibi magno amore devincire sciret, ita ut nusquam ab eo discederent. In Vita Persii, iam supra commemorata, Persius agens annum vicesimum secundum, Cornuti amicitia incepisse uti traditur; quum enim satis constet eum anno DCCLXXXVII (U. C.) natum esse (a. 34. p. C. n.), DCCCVIII U. C. (55 p. C. n.) erit annus a quo Flaccus disciplina Cornuti usus est. Est annus post togam a Lucano virilem sumtam; neque tamen pro certo affirmare audemus eum eo anno philosophi scholas intrasse, licet verisimile sit Lucanum continuo praetexta deposita lectionibus Cornuti interfuisse, quum moris esset adolescentes Romanos annum decimum sextum agentes sese philosophiae studiis addicere. Quoquo modo sese res habet, Suetonius narrat, Lucano per Cornutum aequaevum auditorem philosophi Persium Flaccum innotuisse.

Lucano cum Persio intima amicitia intercedere incipiebat, et prior adeo alterius scripta mirabatur, ut vix illo recitante a

[1]) Ann. XVI. 17.

clamore se retineret. Mihi persuasum est Genthe (De Lucani vita et scriptis) recte dissentire ab explicatione horum verborum, quam O. Jahn in editione Persii Satirarum finxit. Hic enim suspicatur ob eam causam Lucanum Persii admiratorem fuisse, quod in Satiris Persius in Neronem inveheret. Recte autem Genthe notat „eo tempore quum Persius primam Satiram recitaret odia adversus Neronem Lucanum nondum concepisse". Potius causa admirationis quaerenda est in ipsa Stoïcorum doctrina, qua in vicem allecti viri, tam diversa indole praediti, mutuo amore iungebantur.

Lucanum Athenas se contulisse ad doctrinam, qua apud Cornutum eruditus esset, Stoïcam excolendam e loco Vitae eius nobis statuendum est. Quando autem profectus sit, quem magistrum Athenis habuerit nos ignorare fateri oportet, quum Vacca de tota illa re taceat; Suetonius autem hoc solum narrat Lucanum Athenis a Nerone revocatum esse ut cohorti amicorum principis adderetur. Lucanum iam ante Neroni innotuisse, sive a patre Caesaris procuratore, sive a Seneca avunculo commendatum, post togam praetextam mutatam, iam supra vidimus. Quae commendatio usque ad annum DCCCXIII U. C. (60 p. C. n.) a Seneca fieri potuit, qui tunc demum inimicitias gerere incipiebat, quod ex consiliis eius Agrippinam interficiendi concludere possumus. Quinque annorum Neronis principis optimi finis fuit annus DCCCXIII U. C. (59 p. C. n); ad quod tempus Seneca auctoritate sua multum apud principem valebat.

Seneca igitur fratris filium aequali Neroni, duobus tantum, annis iuniori comitem et amicum dabat, ut una philosophiam et artem poëticam discerent et colerent. Maximum iam a principio erat periculum ne haec consuetudo, Lucano potestate inferiori damnosa, immo perniciosa fieret, quod

Neroni Lucanus ingenio praecellebat. Iure enim Nisard dicit [1]: „Cette espèce de familiarité, où les distances sont conservées, est la plus abrutissante de toutes les servitudes". Indoles Neronis invidiae plena erat, ut qui histrionem quasi gravem adversarium occiderit; Lucanus acer, laudis avidus, servitutis impatiens. Amicitias inter tali ingenio iuvenes libertate et sermone libero carere oportuit, quod firmissimum verae amicitiae fundamentum est.

Lucanus quaestor factus annum vicessimum secundum agens (anno DCCXIII U. C.; 60 p. C. n.) quatuor annis ante aetatem lege constitutam favore principis hoc munere fungebatur [2]) „Cum collegis, Vacca inquit, more tunc usitato munus gladiatorium edidit secundo populi favore". Tacitus narrat [3]) Publio Dolabella rogante anno DCCC U. C. (47 p. C. n.) constitutum esse, ut spectaculum gladiatorum per omnes annos celebraretur pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur, i. e. quaestorum designatorum. Initio principatus Nero inter multas et optimas rerum commutationes hoc graviore onere designatos quaestores liberavit decernendo, ne quis illis edendi gladiatores necessitas esset. Quod quidem adversante Agrippina, ut dicit Tacitus, tamquam acta Claudii subverterentur, obtinuere patres. Lucanus igitur gladiatoribus edendis morem quidem usitatum secutus est, neque tamen necessitate cogebatur, qua Neronis liberalitate solutus erat. Sed verisimile est eum, aurae popularis cupidum avidumque principi placendi, hoc munus edidisse, quippe cui res familiaris satis splendida favoris obtinendi facul-

---

[1]) Nisard. Poètes Latins de la décadence.
[2]) Augustus enim Dione auctore (LII 19. 20.) annum vicesimum sextum constituerat, unde praetura geri posset.
[3]) Ann. XI. 22.

tatem abunde tribueret. Vacca solo teste Lucanus auguratus saderdotium accepit, sed omnes honores, quibus eum favor principis augebat, hoc tantum efficere poterant, ut poëta Neronis aemulus eo citius praeceps rueret, quo in altiore fastigio stetisset. Seneca prudentem sese non praestiterat, quippe quem fugisset inter principem artium atque poëseos fautorem et poetam aura populari provectum amicitiam firmam non posse consistere. Inter tales viros inprimis proverbium ante oculos habendam fuerat, „nimia familiaritas contemtum parit." Idque ideo praesertim quod ambobus viris pariter amorem sibi ipsis placendi inesse Senecasciebat; neque ignorabat, periculosam principis invidiam esse, qui quin ipse vitam amitteret parum fuerat, quum Caligula princeps ingenio suo invideret. Profecto Lucani indoles ei nota, si verum est, quod nobis Suetonius tradidit, Lucanum multum sibi ipsi tribuentem, praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilii [1]), comparantem ausum dicere: et quantum mihi restat ad Culicem?

Cuiquam se secundum esse princeps non patiebatur: laus declamando parta Romae maior habebatur, quam ut Nero se non praestantissimum omnium poëtam duci aequo animo ferre posset. Quum igitur Lucanus „hactenus tempora secunda habuisset, ea quae sequuntur mutata invidia et odio Neronis ipsi exitium, domesticis luctum miserabilem attulerunt." (Vacca). Quinquennali certamine prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit, quo carmine publice recitato sibi magnas apud populum laudes peperit. Ita enim Suetonius in Lucani vita. Eodem teste hoc certamen (vel „agona" quo verbo magis usitato aetate imperatoria Plinius in Epistola ad Traianum [2])

---

[1]) Sic enim lego pro Vergilio quod editores dant, verba: aetate et initiis subaudita ratus.
[2]) Ep. X 57.

utitur) quinquennale Nero primus omnium Romae instituerat, Neroniaque appellaverat [1]. Quae verba „primus omnium Romae" ad trium certaminis generum coniunctionem spectant. Neapoli enim iam ante hoc ludi genus edebatur, quo iam Augustus se contulisse dicitur a Suetonio, „ad quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectandum" [2]. Sed Suetonius in loco, qui nobis in manibus est, agit de variis spectaculorum generibus, quum dicit Neronem certamen quinquennale instituisse, quod erat musicum, gymnicum, equestre, anno DCCCXIII U. C. (60 p. C. n). Addit Suetonius loco laudato Neronem etiam gymnasium dedicavisse, quod Tacito teste [3] anno sequenti factum est. Secundum quinquennale certamen celebratum esse post lustrum, ergo anno DCCCXVIII U. C. (65 p. C. n.), Tacitus auctor est, unde huic certamini nomen lustrali iure ab eo datur [4]. Nero igitur certamine quinquennali instituendo morem superiorum principum secutus, dimidio tamen intervallum diminuit, quum alii Dione Cassio auctore [5]) *αὐτοκράτορες καίτοι μηκέτ᾽ ἐς τακτὸν χρόνον, ἀλλ᾽ ἐς πάντα καθάπαξ τὸν βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν ὡς καὶ τὴν ἡγεμονίαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι.*

Itaque certamine acto in Pompeii Theatro, Lucanus teste Vacca coronatus fuit. Sed non erant hae primae laudes ut Suetonius tradit, quas sibi peperit. Nam et causarum actionibus et carminibus recitatis iam ante inclaruerat. Eum patronum quoque causarum fuisse, unus Vacca narrat; quemad-

---

[1]) Nero. 12.
[2]) Div. Aug. 99.
[3]) Ann. XIV. 47. 3.
[4]) Ann. XVI. 2. 4.
[5]) Dio Cass. LIII 16.

modum eundem unicum auctorem habemus, Lucano actionibus causarum interdictum esse.

Invidia sola stimulus irae principis erat: non enim verisimile est Lucani in Neronem convicia mutati animi causam fuisse. E Pharsalia ipsa cognoscere possumus hanc mutationem vix ante annum DCCCXVI U. C. (63 p. C. n.) ortam esse. Nero enim non is erat, qui iurgia atque convicia acerbius ferret: Suetonius ipse hoc ita esse affirmat; et Senecae magis libertatem quam servitium Nero expertus esse narratur [1]). Non solam coronam certamine reportatam, sed etiam gloriam, poëmatis et praesertim tribus Pharsaliae libris prius editis, collectam causas irae habendas esse ex Neronis invidiosa indole sequitur. Nam Nero, qua erat sagacitate, mox sentire debebat laudes sibi tributas non easdem esse, quae Lucano darentur; adulatorum et assentatorum suas, Lucani autem verae admirationis esse. Fieri non potuit quin aemuli plausus pro offensionibus sibi illatis haberet, quum quidem Lucanus non minore vanitate praeditus, nullam operam conferret ad laudes sibi deprecandas. Ambitiosa et laesa vanitas aemulo recitatione poëmatum interdicebat [2]); neque eum libertate frui in excercendis actionibus patiebatur. A quo tempore neque

---

[1]) Mirum, inquit Suetonius (Cap. 39 Vita Ner.), et vel praecipue notabile fuerit, nihil eum patientius quam maledicta et convicia hominum tulisse, neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacessissent exstitisse. — Notum est illud: Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμέων μητροκτόνος, neque minus nota sunt alia eiusdem generis, quae silentio praetereo, quorum neque auctores requisivit et quosdam, per indicem delatos ad senatum, affici graviore poena prohibuit.

[2]) Tacit. XV 49. Nero famam carminum Lucani premebat, prohibueratque ostentare, vanus aemulatione.

Cass. Dio LXII. 29. Ed. Dind. *ὁ δὲ Λουκανὸς ἐκωλύθη ποιεῖν, ἐπειδὴ ἰσχυρῶς ἐπὶ τῇ ποιήσει ἐπῃνεῖτο.*

verbis adversus principem, neque factis exstantibus temperavit (Suet.). Quo modo bellum exarserit, Suetonius narrat. Nero recitante Lucano subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa senatu indicto recessit. Lucanus apud amicos gloriabatur se Neronem vicisse, adeo ut praesentes timore conscientiae commoti in fugam sese darent, dummodo fides habenda sit narrationi, eum quondam in latrinis publicis clariore cum strepitu ventris emissi hemistichium Neronis magna consessorum fuga pronuntiasse:

„Sub terris tonuisse putes".

Qua de causa Nero Lucani occidendi potestate usus non sit pro certo dicere nequeo; verisimile est eum aemuli vitae ob reverentiam erga Senecam pepercisse, quem etiam tum timebat. Lucanus autem otio sibi dato fruebatur; Neronis interdictum ingenio quum nocere non posset, toto se pectore studiis tradebat, ut Pharsaliae inchoatae, cuius tres libros iam in lucem dederat, summam manum adderet. Sed lectionibus defendendis Nero facultatem laudes adipiscendi ademerat, quibus poeta assueverat; oblivionem sui pati nequibat; laudes paucorum amicorum ambitioni eius haud mediocri non sufficiebant. Animadvertebat Neronem laudibus elatum, quippe cui omnes iudices nullam nisi primam palmam deferre auderent, quum principem nemini secundum se haberi velle satis aperte vidissent. Quibus rebus commotus iuvenilique animi ardore incitatus, ultionem sperans, a coniunctis in caedem Neronis socius quum assumtus esset, non languidum se comitem praestitit, nam vividum odium intulisse dicitur [1]). Sed odium Lucani non altis radicibus defixum neque inveteratum erat; non erat is qui iram odiumque caede sola satiare cuperet, neque eorum similis

[1]) Tac. Ann. XV. 49.

qui ex mutatis rebus, ut Persius dicit, „sibi magnos promittunt montes." Non animi crudelis erat, neque opinionem diu occultam servare poterat: inimicitias ostentare, verbisque acerbis prae se ferre volebat. Ad extremum „paene signifer Pisonianae coniurationis exstitit, multus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda ac plenus minarum, usque eo intemperans ut Caesaris caput proximo cuique iactaret. (Suet.)

Inter eos qui indigne ferentes Neronis facinora, novarum rerum cupidi erant, duae factiones fuere, quaram altera occidere Neronem et alium principem rei publicae praeponere gestiebat, altera tyranno occiso antiquam rei publicae libertatem restituere volebat. Piso, a quo coniuratio nomen traxit, primus ne auctor fuerit Tacitus haud facile memorare se posse dicit; constat autem eum iam anno DCCCXV U. C. (62 p. C. n.) ducem coniurationis fuisse; Tacitus enim auctor est Romanum, quemdam [1]) eo anno secretis criminibus Senecam incusavisse, ut Pisonis amicum. E qua suspicione Pisonem timor occupavit; et orta est magna in Neronem moles et inprospera insidiarum. Quamquam Seneca ut Neroni se purgaretur facile effecit [2]). Coniuratio autem ab eo tempore crescebat; incepti periculosi homines multum auctoritate valentes socii fiebant, quorum stimuli diversi erant. Hunc amor rei publicae adgregabat, ut Lateranum; illum contumeliae, quibus a Nerone affectus erat, coniurationi se addicere cogebant, ut Quintianum; illum inimicitiae adversus Tigellinum potentissimum libertinum, ut praefectum Faenium

[1]) Fortasse libertinum Ti. Claudium Romanum, quem in Fastis collegii servorum et libertorum Antii nominatum invenimus; hunc Romanum enim libertinum fuisse suspicamur, quia eum Tacitus uno modo nomine appellat, licet plane ignotus sit.

[2]) Tac. Ann. XIV. 65.

Rufum. Omnibus autem hoc unum propositum erat: tyrannum invisum occidere. Non minus quam stimuli inimici communis interficiendi, consilia quoque varia erant. Alii domum auream incendere in animo habebant, ut splendida illa sedes tot facinorum, ex structa spoliis civium αὐτοῖς ἀνδράσι periret; alii in Circo impetum in tyrannum facere cupiebant; alii denique in scena canentem aggredi volebant. Tandem dies Circensium ludorum, qui Cereri celebrabatur, caedi constitutus est. Scaevino officium perpetrandae caedis mandatum erat. Ut in rebus magni momenti fieri solet, levi de causa res successu carere debebat. Scaevinus maiorem quam par erat fidem liberto Milicho habebat, a quo pugionem saxo asperari et in mucronem ardescere curabat. Hic sive conscius iam ante, sive nescius et tunc primum suspicione arrepta apud se magna reputans proditionis commoda, uxorem adhibebat illius praecepti immemor, plus oportere scire servum quam loqui. Quae sequebantur facile intelligimus: ut femina saepius olim κακὴν δαίμονα se praebuit et saepe se praebebit, sic etiam Milicho; consilium uxoris proditorem magistri eum reddebat. Nero totius rei per delatorem certior factus acciri Scaevinum iussit; is magnam animi constantiam dictis adiiciens omnia, quae in se delata essent, explicare conatus, ultro incusat libertum idque tanta vocis atque vultus securitate, ut profecto ei creditum esset, nisi uxor Milichi multa et secreta eius colloquia cum Natali, qui ex intimis Pisonis erat, indicasset. Tandem Nero nomina coniuratorum cognovit: Piso, Seneca, Lucanus omnes reliqui proditi sunt. Senecam revera coniurationis participem fuisse non constat: Tacitus enim suspicatur [1]) indicem eum nominasse, ut sibi Neronis gratiam pararet qui infensus Senecae omnes ad eum conprimendum artes conquirebat. Lucanus cumque eo duo alii diu abnuere; impunitate promissa corruptus prior matrem Aciliam indicabat. „Lucanus detecta coniuratione nequaquam parem animi constantiam praestitit; facile enim confessus et ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit, sperans impietatem sibi apud parricidam principem profuturam." (Suet.) Verba Suetoniana „facile confessus" non congruunt cum Taciti „Lucanus, Quintianusque et Senecio diu abnuere", et luce clarius animum Suetonii Lucano infensum demonstrant, ita ut etiam sequentibus verbis, quibus proditio matris narratur, fidem negare liceat, idque eo magis quod Vacca totam rem silentio praeteriit. Fortasse Nisard rem acu tetigit ubi suspicatur, eum qui Vitam conscripserit potius id egisse, ut ingenii acumen atque sagacitatem ostentaret quam ut Lucani famam curaret. Quoquomodo se res habet, Lucanus conscios edidisse a Tacito narratur; fieri potest ut matrem quoque nominaverit; stimulus vero, cui Suetonius hanc rem tribuit turpior est quam cui credere possimus. Omnes coniurati morte poenas audacis conatus dederunt, praeter Lucani matrem Aciliam, quae, ut iam supra cognovimus, sine absolutione sine supplicio dissimulata est.

Quum coniurationem breviter pro necessitudine Lucani historiae attigerimus, iam paucis singulorum coniuratorum sortem tractabimus. Auctor vel saltem dux coniurationis Piso venis bracchiorum abruptis vitam finivit, quum milites a Nerone missi venirent; moribundus in testamento adulationibus in Neronem se contaminabat [1]). Plautio Laterano tempus liberos amplectandi princeps non concessit, ne arbitrium quidem mortis ei permisit

[1]) Tac. XV. 56.

[1]) Tac. Ann. XV. 59.

quum manu tribuni eum trucidandum curaret. Seneca, qui forte an prudens ex Campania ad eum diem remeaverat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat, illic interfici iubebatur. Dicto audiens non solum brachiorum venas sed etiam crurum aperuit; senili autem sanguine tardius manante cicutam hausit. Quod quum ne satis quidam esset, introïit calidae aquae stagnum, ubi mox exanimatus obiit. Post eum tribunus Subrius Flavus interfectus est, cuius vox nobilis animum vere Romanum testatur. Is enim Neroni roganti quam ob causam ad sacramenti oblivionem processessit respondit: „odisse te coepi, postquam auriga, et histrio et incendarius exstitisti". Simile constantiae exemplum Sulpicius Asper centurio dedit; nec ceteros centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravisse Tacitus auctor est [1]). Vestino consuli, amico antea Neronis, medicus praesto erat qui ei venas abscinderet. Eadem poena Lucanus multatus est. Arbitrium liberum mortis ei datum esse Suetonius narrat, qui addit eum codicillos ad patrem corrigendis quibusdam versibus suis exaravisse, epulatumque largiter brachia ad secandas venas medico dedisse. Vacca fere idem brevius refert: diem notat prid. Kal. Maias Attico Vestino Nerva Silano Coss., quum XXVI aetatis annum ageret poeta. (30 Apr. 65 p. C. n.). E verbis Suetonii apparet, Lucanum aequo animo fortunam tulisse, quippe qui extrema quoque hora ad versus corrigendos animum adiecerit, neque cum Suetonio Tacitus pugnat, ubi dicit poëtam profluente sanguine quum frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc et compote mentis pectore intelligeret recordatum esse carmen a se compositum. Qui versus recitati

[1]) Ann. XV. 68.

sint Tacitus non commemorat, sed addit in illis vulneratum militem per similem mortis imaginem obiisse. Fortasse e libro tertio Pharsaliae elegit versum 635tum, ubi memor originis matris, Acilium quemdam laudat:

Scinditur avulsus nec sicut vulnere sanguis
Emicuit lentus, ruptis cadit undique venis
Discursusque animae diversa in membra meantis
Interceptus aquis.

Vel e tertio libro 586tum:

Et stetit incertus, flueret quo vulnere, sanguis.

Vel e nono 814tum:

Omnia plenis,
Membra fluunt venis, totum est pro vulnere corpus.

Vel denique e septimo 608tum:

Ast illi suffecit pectora pulsans
Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit.

Fortasse alius alios etiam versus reperire potest, qui ori moribundi poëtae apti videntur, — hi quatuor sufficiant, quum res omnino incerta sit neque unquam futurum sit ut expediatur.

Lucanum in hortis suis sepultum esse Iuvenalis nos docet loco iam supra commemorato [1]): „contentus fama iaceat Lucanus in hortis marmoreis", quo simul edocebamur eum satis divitem fuisse.

Una iam res superest, quam in vita tractanda praetermisi, ne iustum rerum ordinem violare viderer quamque ad finem servatam nunc paucis absolvam. Nuptias Lucani dico.

Lucanus uxorem duxerat Pollam Argentariam, quae utrum marito superstes fuerit annon, parum constat. Sidonius Apollinaris narrat eam post Lucani mortem iterum nupsisse poëtae cuidam:

[1]) Iuv. Sat. V. 79.

quid quod duplicibus iugata taedis
Argentaria Polla dat poëtas?

Immo sunt qui excogitaverint secundum Pollae maritum Statium poëtam ipsum fuisse, quam falsam opinionem ortam esse ex ineptissima lectione in praefatione Silvarum libri secundi „carrissima uxorum" pro: clarissima, Genthe (De Lucani vita et scriptis) demonstravit, quam quidem ex ipsius Statii verbis hanc fabulam fictam esse satis perspicuum est.

Martialis saepius Pollam nominat reginamque eam vocat [1]); simul Lucanum levi adulatione „illum vatem, gloriam Heliconis nostri" appellat. Apud Senecam [2]) Argentarium quemdam reperimus, rhetorem cui nomen Simio Cesti dat, qui Argentarius fueritne ex familia Lucani uxoris necne prorsus nescimus; neque maius nisi coniecturae pretium opinioni Weberi tribuendum est (Schol. Marb. p. 14) ubi suspicatur „Pollam Argentariam genere pertinuisse ad familiam Vespasianam, natam ex fratre Vespasiae Pollae, cuius Pollae socer coactiones argentarias factitasse dicatur" [3]), unde affines eius nomen Argentarii derivare potuerint.

Neque utrum ex Polla Argentaria maritus liberos susceperit annon, neque quando obierit memoriae traditum est, ita ut perpaucis his contenti, quum non amplius habeamus quod de ea disseramus, ad Lucanum reverti possumus.

Ex inscriptione (apud Lipsium Ed. Tac. pag. 281) „M. Annaeo Lucano Cordubensi poëtae beneficio Neronis Caesaris fama

---

[1]) Mart. X. 64. Contigeris regina meos si Polla libellos,
Non tetrica nostros excipe fronte iocos.

[2]) Contr. IV. 26.

[3]) Suet. Vesp. 1. T. Flavius Petro municeps Reatinus.... profugit ex Pharsalica acie domumque se contulit ubi deinde..... coactiones argentarias factitavit.

servata" videmus Neronem Lucani scriptorum lectione non interdixisse neque per edictum libros eius e bibliothecis publicis amovisse. Ad haec verba *εἰρωνείας* plena: „fama servata", fortasse Iuvenalis quoque verba spectant: „contentus fama". Profecto nobis mirum videri debet Neronem hac liberalitate adversus aemulum et coniuratione detecta manifestum inimicum quoque, usum esse: neque ullam causam huius clementiae excogitare possumus nisi quod princeps eo iam tempore nimis occupatus quaerendis et detegendis coniurationibus fuit, quam ut eiusmodi ineptiis animum attendere posset. Lucanus sibi ipsi immortalitatem vaticinatus est: „Pharsalia nostra, inquit, vivet [1])"; neque ita multo post poëmata eius recitabantur, quibus legendis etiam in ludis magistri discipulos erudire solebant.

Utrum Lucanus immortalitatem meruerit necne hic decernere nolumus. In ipso poëmate trantando facultas opinionem proferendi abunde se praebebit. Varie diiudicatus est. Iustum igitur est *τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροάσασθαι, τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον τὸ μὴ προκατεγνωκέναι μηδέν, ἀλλὰ καὶ τὸ τὴν εὔνοιαν ἴσην ἀποδοῦναι* [2]). Ambabus itaque partibus auditis utri opinioni favere nos oporteat sciemus, ne leviter et temere sententiam ferre videamur, sive ira et studio ducti sive gloria eius occaecati.

---

[1]) Phars. IX 986.

[2]) Dem. *περὶ τοῦ στεφάνου* pg. 225 R. ubi pro *ἀκροάσασθαι* legendum *ἀκροάσεσθαι*, quia in iurisiurandi formula futuro semper usurpatur.

CAPUT ALTERUM.

DE FONTIBUS EX QUIBUS LUCANUM HAUSISSE VERISIMILE EST.

Liber primus.

Poëta ne, qui Pharsaliam lecturi sint, diu ignari maneant eorum quae tractaturus est, iam statim poëmatis primo versu dicit se bella plus quam civilia canere [1]).

Canit igitur bellum civile, ius sceleri datum, quibus verbis cui factioni faveat, continuo indicat. Quamquam non solum quia victor non est is, quem expectaverat, poëta dolet signa infestis signis obvia, pila minantia. Dum Crassi umbra inulta errat, placebit bella geri nullos triumphos ha-

[1]) Haec verba Florus (Ep. Rer. Rom. IV. 2) fortasse ante oculos habuit, quum magno ardore animi poëtico accensus scribit: „Caesaris furorem atque Pompeii urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique qua pateret imperium quodam quasi diluvio ex inflammatione corripuisse, adeo ut non recte tantum *civile* diceretur ac ne sociale quidem, sed nec externum: sed potius commune quoddam ex omnibus et plus quam bellum".
Pro certo autem affirmare audemus Orosium (Hist. adv. Pagan. Libr. VII. Ed. Zangemeister II 18) ad haec verba spectasse ubi dicit: „Iisdem fere diebus bellum civile, immo etiam plus quam civile .... apud Persas gerebatur".

bitura. Si tantus amor belli Romae inesset, facultas bellandi abunde se praeberet: numquam enim Romae hostis defuit. Neque Pyrrhus, neque Hannibal auctor tantorum malorum erat, quanta nunc miserrimae urbi subeunda sunt:

„nulli penitus discindere ferro
Contigit: alta sedent civilis vulnera dextrae".

Fortasse, poëta inquit, alia via inveniri non poterat Neroni venturo: fortasse magno pretio dii sibi aeterna regna parant, nihil iam amplius queritur. Est aliquid talem principem rei publicae praepositum habere: tale beneficium nimio emi non potest: multum igitur Roma civilibus armis debet, quod iis factum est, ut te, Nero! principem, te deum habeamus. Non enim Lucanus dubitat quin Nero „statione relicta" deus factus, astra petiturus sit. Tunc genus humanum armis positis sibi consulet; „aspera tum positis mitescunt saecula bellis", ut Virgilius canit [1]), tunc regnum pacis atque amoris veniet, omnis invicem se gens amabit; poëta sibi videtur tum demum tempus adfuturum esse, ut verbis Iesaiae vatis utar [2]): „quo lupus cum agno habitabit, pardus cum hoedo accumbet, vitulus et leo et ovis simul morabuntur et vitulus et ursus pascentur, simul aequiescent catuli eorum, et leo quasi bos paleas comedit. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocebunt neque occident".

Poëta autem non Musas invocaturus est: Deus Nero satis erit ad vires dandas in Carmina Romana: non iam opus est ut deus fiat: mihi, inquit, iam numen es [3]).

[1]) Aen. I. 291.
[2]) Ies. XI.
[3]) Paucis libet attingere quantum haec a Lucano ficta Neronis apotheosis Virgiliana differat, quam in Georgicis invenimus (I 24). Vir-

Invidum fatum causam tantarum rerum poëta indicat esse; magno pondere lapsa Roma semetipsam ferre non potuit, et

---

gilius numinibus agriculturae fautoribus invocatis, Augustum invocatione praeterire non vult. Ratione satis eleganti et venusta id efficit, ita ut impudentiae et adulationis vix incusari possit. Virgilius Augustum invocat: non tamen ut Deum, sed qui aliquando fieri possit, quum tot insignes viri post mortem in numerum deorum recepti sint. Non dicit παρθενίας „mihi iam numen" (Luc. I. 63), neque „te praelati regia coeli accipiet" (Luc. I. 44), sed: „quicquid eris, adnuc audacibus coeptis" (Georg. I. 34),

ignarosque viae mecum miseratus agrestis,
ingredere et votis iam nunc adsuesce vocari (42).

Si haec apotheosis habenda, tamen conditionibus adstricta est. Nihil in aliis versibus quod offendere potest invenimus, nulla adulatio, qua Augustus sive ob prudens, sive ob iustum imperium dignus non habeatur. Verba enim:

te nec sperent Tartara regem,
nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,

num alium sensum habent nisi quae ratione venusta et iucunda dicant poëtam principi dilectissimo vitam longam optare?

Modus quo Virgilius hanc apotheosin tractat non multum differt ab Horatii (Od. I. 2), ubi simulans se Augustum habere pro Mercurio, qui formam humanam induit, cum sic alloquitur:

Sive mutata invenem figura
Ales in terris imitaris almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:
Serus in coelum redeas ... κ. τ. λ.

Quantum discrimen sit inter Virgilianam Horatianamque adulationem atque Lucani videmus; neque tamen assentimur v. d. René Binet (Edit. Virg. Tom. I. pg. 210), quum suspicari ausus est hanc adulationem plenam εἰρωνείας esse, neque Lucanum λέγειν ὅτι λέγει. Quo tempore poëta noster hos versus scripsit, cum Nerone inimicitiae ei nondum intercesserant, neque puto iam tunc Lucanum rebus coactum esse ut Neronem odisset fuerit: neque audaciam ei fuisse verba periculosa dicendi, quum minima suspicio principi vel eius amicis incidere posset, ea ex animi sententia dicta non esse.

Confer etiam Jules d'Argis, Athenée de Verdun; Conférence: Néron et Lucain. pg. 49, qui idem quod Binet factum esse suspicatur.

quem admodum suprema mundi hora omnia antiquum chaos repetent, sic etiam imperium Romanum interiit. Roma enim, tribus dominis communis, sese tradendo interitum suum ipsa acceleravit; fieri non potest quin discordia mox oreretur: „orbisque (sic cum Webero legendum) potestas enim, impatiens consortis erit, dum terra fretum et aer terram levabit" (92). Brevi Crassus solus causa discordis concordiae, mora belli erat: ubi autem telis Parthicis ceciderat, regnum ferro dividitur. Non minus quam triumviri mors, obitus Iuliae causa discissae fidei; tunc enim fato permissum ducibus bellum movere: quis iustius arma induerit scire nefas: iudice magno se quisque tuetur, quibus verbis poëta notissima addit:

„Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni". (128).

Poëtam igitur nondum caeco studio ferri videmus, quo postea opus, paene dixerim, inquinatus est. Nondum diiudicare vult, uter iustiorem partem sequatur, licet factio Caesaris secundo versu „sceleris" nomine appelletur, ius autem (quo nomine partem Pompeianam poëta designat), sceleri succubuisse dicatur.

Lucanus dein mores amborum virorum describit, vel potius levibus lineamentis adumbrat. Iam statim eos nequaquam pares fuisse dicit: Pompeius, etsi nondum senio confectus, ad senium tamen vergentibus annis bello deciderat: avidus famae gaudebat plausu marmorei sui theatri, multumque priori fortunae credebat. Lucanus heroëm suum cum quercu comparat exuvias veteris belli gestante, nec iam radicibus validis fixa; dum trunco solo non frondibus umbra efficitur, quamquam „tot circum silvae firmo de robore tollant sola tamen colitur."

Caesaris autem gloriam militarem poëta detrectat: ei fama ducis non est, acer et indomitus viam ruina fecisse gaudet.

Cum fulminis ictu, qui hominibus occaecando terrorem incutit, quique late stragem edit, flamma corusca oculos praestringens, aemulum Pompeii comparat.

Lucani monitu causae malorum non solum in ducibus quaerendae sunt: publica quoque belli semina inveniri possunt [1]). Praeda ex urbibus expugnatis Romam tralata, rapinae bellis externis factae, luxum immodicum, famam auri numquam satiatam semper augebant. Quod Horatius iocose hortatus erat,

O cives, cives, quaerenda pecunia primum est
Virtus post nummos! [2])

nimis Romae in usum venerat, ubi aurum pluris aestimabatur quam virtus, quum paupertas virorum fecunda, ut maximum malum fugeretur. Non is erat populus qui pacem servaret: bello praedae fecundo, Romanis opus erat: vile nefas probitatis locum tenebat, avaritia fidem ceterasque bonas artes, ut Sallustius dicit [3]), subvertit. Vis mensura iuris erat. Honores iam non pro meritis gerebantur, gloriam enim, honorem, imperium, bonus et ignavus aeque sibi optabant; fasces rapiebantur pretio, unde bellum inter duas factiones ortum, multis utile erat.

Lucanus reconciliandi Caesarem cum Pompeio conatus silentio praetermittit; praeterit ea quoque quae in senatu acta quaeque conditiones a Caesare latae sunt, ut in medias res, ad ripas Rubiconis nos transferat. Caesar enim gelidas Alpes iam superaverat et ad Rubiconem constiterat. Hic poëta imaginem Patriae trepidantis ante oculos ducis scelerati prodire curat, quae eum retinere conata verbis: „Quo tenditis ultra, quo fertis

[1]) Conf. de moribus Romanorum depravatis: Iuvenal, ein Sittenrichter seiner Zeit von Dr. P. Doetsch, II a § 1. 2. 3.
[2]) Hor. Epist. 1. 1. 53.
[3]) Sall. Catil. Cap. 10.

mea signa, si iure venitis huc usque licet", tamen efficere nequit quod sibi proposuerat. Caesar haudquaquam voce paene divina commotus, per amnem signa ferri iubet, minaxque Ariminum, vicinam urbem, invadit. „Pacem et temerata iura — Caesar inquit — hic relinquo: te Fortuma sequor".

Primus belli dies tristibus auspiciis illuxerat: nubes moestam lucem tegebant: sol, quasi lugens scelus inchoatum, latebat. Cives Ariminenses clangore tubarum, stridore lituum, e somno excitatos gelidus pavor occupat: miserantur urbem vicinam Gallis, loco ipso damnatam. Qui primi omnium Cimbrorum saevitiam viderant, quibus furor Teutonicus non pepercerat nunc durum bellum iterum prius attingit. Querentur:

Quoties Romam Fortuna lacessit
Hac iter est bellis. (257)

Curio tribunus plebis Arimini Caesar praesto erat. Exsilium dicit se volentem suscepisse quum, leges a senatu violarentur: „victoria tua — inquit — nos faciet cives". Tolle moras, dum patres [1]) trepidant; semper enim paratis differe nocuit:

Socerum depellere regno
Decretum genero est. Partiri non potes orbem:
Solus habere potes. (290)

Quibus dictis Caesar accensus, milites convocari iubet ut contio habeatur, qua eos edoceat se non sibi soli cupere ut iniuria reparetur, sed militibus in primis belli praemia postulare:

Mihi si merces erepta laborum est,
His saltem longi me duce praemia belli
Reddantur. (342)

Milites primo quid sibi faciendum sit dubitant: pietas cum

[1]) Sic enim pro „partes" legendum (280).

avaritia et amore ducis pugnat; tandem primus pilus Laelius pro commilitonibus pollicetur se omnes facturos esse quicquid iubebuntur; „si pectore fratris — inquit — gladium condere iubebis vel iugulo parentis, faciemus, si spoliare deos et ignem templis immittere iubebimur, mandata tua exsequemur". His cunctae cohortes assentiuntur et Caesar, ne fortunam moretur cohortes per Gallica rura sparsas evocat ut signis infestis Romam petat.

Terror per omnem Italiam spargitur: vana fama, quae crescit eundo, ad veros timores accedit; pavor animos civium occupat: unusquisque famae pavendo vires dat. Nec solum vulgus stupet inani terrore perculsum: senatores quoque trepidant, incerti quae tuta petant, quae metuenda relinquant. Ignavae manus urbem totius generis humani capacem destituunt, iam facilem praedam Caesari appropinquanti.

Huic trepidationi Lucanus hanc tamen veniam dat: ipse Pompeius fugerat. Huius fugae autem nullam causam nisi timorem poëta affert. Prodigia quoque omnis generis populum ad urbem relinquendam impellunt; Livius uberiorem enumerationem monstrorum, prodigiorum, portentorum memoriae prodere non potuisset.

Figulus, cui secreta deorum coelique arcana nosse curae erat, ex sideribus quoque maxima mala ominatur: „Mars, inquit, solus coelum habet; vim igitur armorum exspectari oportet". Lucanus iam reliquis Figuli verbis finem rerum imperium Caesari designat: „Cum domino pax veniet".

Plebi his praesagiis exterritae maiora etiam terrorem incutiunt. Matrona quaedam per urbem vaga se videre Philippos exclamat, ubi bellum sine hoste geritur: se Aegyptum cernere, agnoscere eum qui in littore deformis iaceat, se arentem Libyen aspicere, caedem Caesaris in senatu peractam ante oculos

habere. Furor ille omnia quae futura sunt etiam tristiora et atrociora reddit; plebs retineri non potest, dii perspicue indicant quae imminent, prodigia, sacrificia infausta, praesagia, omnia ad fugam impellunt. Roma audito bellorum nomine deseritur: nox una his muris non iam creditur.

Operae pretium erit paucis inquirere, cuius potissimum scriptoris auctoritatem poëta in poëmate condendo secutus sit.

Non amplius, credo, opus erit expressis verbis indicare Lucanum a partibus Pompeii stare: eum enim magis Pompeio quam Caesari favisse ubivis locorum patet, quem ad modum in enarrando libro primo abunde demonstrasse nobis videmur.

Nil mirum igitur poëtam talia sentientem, auctore usum esse qui iisdem partibus faveret. Itaque auctorem Pompeianum Lucano fontem fuisse verisimillimum est. Quis ille fuerit, comparatis cum Lucano scriptoribus qui de bellis civilibus scripserunt, non diu quaerere opus erit. Quis est enim cui non statim Titi Livii in mentem venerit, qui quodammodo civilis belli aequalibus adnumerari potest, cuique qui postea de historia Romana scripserunt tantum tribuere solebant, ut fere omnes ab eo plus minusve pendeant [1]). Notissimum autem est eum ab Augusto Pompeianum appellatum esse [2]); eumque Pompeium semper laudibus extulisse constat ex Tacito, apud quem Cremutius Cordus his verbis utitur: „Titus Livius eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis

---

1) Confer Wilmans: De Dionis Cassii fontibus et auctoritate. Cap. III.

2) Minime vero hoc negligendum esse censeo Livium Pompeianum ab eo viro appellatum esse, qui Caesarianae factionis quasi heres, certe non iudicium tulit ab omni ira studioque remotum.

laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret, neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, Cassium, Brutum, nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignes viros nominat" [1]).

Livius septem libris bellum civile tractaverat, quorum exiguae tantum partes posteritati traditae tunt. Periochae enim nos docent quid libri deperditi continuerint. Sed nobis exhis reliquiis, quem ad modum in sequentibus videbimus, cum iis comparatis quae nobis reliquerunt qui ex Livii scriptis sua hauserunt, haud sine veritatis specie efficere licet, Lucanum ex Livio inprimis hausisse eiusque auctoritate usum esse. Quod eo facilius statui potest, quod Livius tanta posteriores scriptores auctoritate tenuit, ut quodammodo deperditos eius libros compensent. Lucanus enim cum Dione Cassio et Appiano saepissime congruens meam opinionem confirmavit, quandoquidem eos ex eodem fonte sumsisse nobis statuendum est. Dionem Cassium enim Livium saepe ante oculos habuisse, ei qui accuratius atque diligentius eum legerit statim apparebit; in primis, ut exemplum proferam, haec cogitatio incidet Massiliae obsidionis descriptionem legenti, in qua prorsus eundem factorum ordinem ex Epitome CX Livii servatum esse cognovimus. Luculenter Wilmans demonstravit ea quae Catilinae coniurationem insequuntur tempora ad caedem Caesaris usque et ultra, certe secundum Livium a Dione narrata esse. Cui rei igitur demonstrandae operam impendere nobis supervacuum esse videtur.

Neque solum Dio Cassius nobis operis Livii partem servavit. Florus et Orosius et Iulius Obsequens, quos

---

[1]) Tacit. Annal. IV. 34.

maxima sedulitate Livii auctoritatem secutos esse constat [1]) eiusque opus descripsisse, nobis praesto sunt, unde auctoritatem Livianam in Lucano diiudicando colligamus. Saepissime enim fere ipsis verbis Florus cum Dione Cassio congruit, neque longe a veritate coniectura abhorrere videtur, hos Flori locos cum Dionis congruentes, nihil esse nisi Livii ipsius fragmenta. Exempli gratia referam: IV. 2. 21, ubi paene iisdem verbis quibus Dio XLI 17, Florus narrat aerarium sanctius a Caesare effractum esse; IV. 2. 25, ubi Massilienses urbe expugnata omnibus rebus spoliati omnia amississe narrantur praeter libertatem. Eadem Dio iisdem verbis descripsit [2]).

Quod Lucanus igitur nonnumquam cum Dione congruit, ut postea saepius videbimus, pro indicio est, eum cum Livio quoque congruisse: verisimile enim esse Dionem Livio auctore usum esse, Wilmans demonstravit exemplisque probavit. Interdum vero Lucanum auctorem fuisse Floro atque Orosio [3]) videbimus, a quibus poëtam studiose lectum neque recto semper iudicio adhibitum fuisse Meinertus demonstravit. Quod ipsum suo loco indicare nobis in animo est [4]).

Quoniam vidimus quomodo poëta causas belli civilis cursumque rerum descripserit, libet rerum eius expositionem cum fide historica componere, ut quatenus cursum rerum gestarum Lucanus fideliter secutus sit videamus. Non idem a poëta

---

[1]) Orosium non ipso Livio usum esse, sed epitome quadam deperdita et (quod maximi momenti est), eadem quidem epitome ex qua periochae superstites excerptae sint Zangemeister monet (pg. XXV).

[2]) Confer. Flor. III. 11. 4. cum Dione XL 16. Flor. IV. 9. 7. cum Dione XLIX. 20. Flor. IV. 2. 29. cum Dione XLII 40. Flor. IV. 11. 6. cum Dione XLIX. 29.

[3]) Vide pg. 33 in annot.

[4]) Confer. Jahn. Ed. Flor. Praef. pg. 46.

exigere fas est quod ab historiarum scriptore requiritur: contenti esse debemus modo graviora errata evitentur: sunt etiam errores, quibus ob libertatem poëtis concessam veniam tribui oporteat. Quibus omnibus reputatis Lucano honorem denegare nequimus historiae plerumque cum fide descriptae. Dubii pretii haec laus fortasse existimanda est, quae gloriae poëticae interdum nocuit [1])

Iure Lucanus imperii divisionem iudicat omnium malorum originem fuisse: inter triumviros Caesarem, Crassum, Pompeium pax diuturna esse non poterat: Crassum solum post mortem Iuliae anno DCLXXXXIX U. C. (54 a. C. n.) moram belli fuisse constat; quum poëta levi errore caedem infelicis triumviri, Parthica fraude exstincti, ante Iuliam mortem posuit. Omnes historici consentiunt Iuliam quum maxime operam dedisse, ut amicitia inter maritum et patrem integra servaretur. Plutarchus dicit [2]): *ἡ πρότερον παρακαταλύπτουσα μᾶλλον ἢ κατείργουσα τῶν ἀνδρῶν τὴν Φιλαρχίαν οἰκειότης ἀνήρηται.* Deinde pergit: *μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Κράσσος ἐν Πάρθοις ἀπολωλὼς ἠγγέλλετο καὶ τοῦτο κώλυμα ὂν μέγα τοῦ συμπεσεῖν τὸν ἐμφύλιον πόλεμον ἐκποδὼν ἐγεγόνει.*

Livius eodem quo Lucanus modo causas civilium armorum retulisse videtur, ut apparet ex periocha lib. CVIII. Nihil dein ex eo fonte haurire possumus, quum statim legamus: senatus consulto facto, postquam tribuni plebis ad cae sarem se contulerunt, is cum excercitu in Italiam venit.

---

[1]) Nisard (Poëtes Latins de la décadence III pg. 62) dicit „Lucain a traité un point d histoire; il a abdiqué sa faculté d'imaginer, pour se traîner à la suite des annalistes." Cui opinioni pro exiqua tantum parte assentio.

[2]) Plutarchus Pomp. LIII in fine.

Dein Florus nobis auxilio venit [1]), qui non minora dat. Iam vidimus ineunte hoc capite hunc paene iisdem verbis usum esse, quibus Lucanus utatur, qui dicit se bella plus quam civilia canere, quum Florus scribit, ne bellum civile tantum sed plus quam bellum se memoriae prodere. Florus causam tantae calamitatis refert: nimiam felicitatem. Quid quaeso Lucanus: Roma lapsa sub nimio pondere; Roma semetipsam non ferens. Dein potentiam Pompeii, Crassi, Caesaris Florus nominat quam Lucanum indicat fuisse alteram causam:

tu causa malorum
Facta tribus dominis communis Roma.

Neque Florus praeterit Iuliae mortem, quam Lucanus quoque discissae fidei causam fuisse magna verborum vi affirmat.

Neque quae Lucanus de Pompeii atque Caesaris moribus narrat fundamento veritatis carent. Verba versuum 125 atque 126 [2]) paene ipsis verbis congruunt cum Cassii Dionis [3]): *γνώμῃ μὲν γὰρ τοσοῦτον ἀλλήλων διέφερον ὅσον Πομπήιος μὲν οὐδενὸς ἀνθρώπων δεύτερος, Καῖσαρ δὲ καὶ πρῶτος πάντων εἶναι ἐπεθύμει.* Neque minus Caesaris responsum [4]), quod dedit Alpibus superatis, indolem notat a Lucano bene observatam: *Ἐγὼ μὲν ἐβουλόμην παρὰ τούτοις* (incolas Alpium montium dicit) *εἶναι μᾶλλον πρῶτος ἢ παρὰ Ῥωμαίοις δεύτερος*: quod responsum verborum Achillis *ἐν νεκυίᾳ* admonet [5]):

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θήτευέμεν ἄλλῳ
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισι Fανάσσειν.

---

[1]) Florus II. 13.

[2]) Nec quemquam iam ferre potest Caeserve priorem Pompeiusve parem.

[3]) Cass. Dio Bell. Civil. XLI 54.

[4]) Plut. Caes. 11.

[5]) Hom. Odyss. XI 489.

Caesar porro a Lucano depingitur acer, indomitus, tamquam gaudens ruina ut sibi viam patefaciat; fama militaris a Caesare parta cum Pompeii, Lucano teste, comparari non potest. Plane diversa ratione per historicos Caesarem novimus; iure enim maximus dux temporis sui habetur. Neque solum inter omnes historiarum scriptores hoc constat, sed etiam viri rei militaris peritissimi numquam hanc laudem detrectaverunt: honoribus eum extulerunt, ut qui semper rationem qua hostes vinci deberent, reperiret; qui clade accepta nihilominus aciem strueret denuo ad depugnandum paratus; qui inexspectatis motibus terrorem hostibus incuteret, quorum celeritate nemo ei antecederet. Neque multitudine copiarum, neque longa exercitatione, audacibus autem et celeribus motibus vulgo victoriam reportabat. Quibus verbis Mommsen utitur [1]) memorare lubet, etsi eum in Caesare iudicando ceteroquin iudicem aequum non semper salva veritate haberi credimus: „Mit Recht haben die grössten Kriegsmeister aller Zeiten den Feldherrn Caesar gepriesen, der wie kein anderer ungeïrrt von Routine und Tradition immer diejenige Kriegsführung zu finden wusste durch welchen in dem gegebenen Falle der Feind besiegt wird und welche also im gegebenen Falle die rechte ist; und der mit divinatorischer Sicherheit für jeden Zweck das rechte Mittel fand". Saevum et sanguinarium fuisse Caesarem prorsus falsum est; semper videbimus in poëmate tractando Lucanum crudelitatis et saevitiae consulto inimicum suum accusare, quum apud historicos plane contrarium inveniamus. Mommsen iterum audiamus: „Obwohl ein Meister der Kriegskunst, hat er doch aus Staatsmännischen Rücksichten das aeusserste gethan, um den Burgerkrieg abzuwenden, und um, da er dennoch began, wenigsten keine blutigen Lorbeerens zu ernten [1])".

[1]) Röm. Gesch. III 464.

Heroi Pompeio poëta haudquaquam blanditur verbis usus: „Stat magni nominis umbra"; ne tunc quidem quum anni eius in senium vergere dicuntur. Pompeius sex modo annis Caesare senior annum quinquagesimum octavum agebat: nondum igitur senex appellari debuit senio paene confectus, licet autem facultates debilis senectutis saepius ostendisset, dubium animum atque mentis inconstantiam. Bis Pompeius facultatem imperio potiendi sibi a Fortuna oblatam haesitando praetermiserat: bis animo defecerat. Non is erat qui uti foro sciret. Acrem igitur atque indomitum vocari eum mallem, quum omnibus notum esset haec verba in malam partem haberi non oportere, quam umbram appellari, quum revera hoc nomine ob mobilitatem et animi levitatem dignus esset.

Eundem rerum ordinem apud Florum servatum esse videmus ubi mores adversariorum describit. Eadem fere verba quibus Lucanus, cum Cassio Dione congruens, utitur, eandem saltem sententiam indicantia apud Florum legimus: Nec hic (Pomp.) ferebat parem, nec ille (Caes.) superiorem. Nullum discrimen hac in re inter ambos scriptores esse animadvertimus. Haec omnia quin et Cassius Dio et Lucanus ex Livio, quem Florus secutus est, petierint, mea quidem sententia, incertum non est.

Quibus addere possumus quae ipse Caesar B. C. I. 4. queritur: „Pompeius neminem dignitatem secum exaequari volebat [2])".

[1]) Confer. Cass. Dio XLI 22. Appian II 43. Praesertim Cic. ad Att. VII. 13. 15. 19.

[2]) Confer. Vell. Paterc. II. 33. 4. Neque Pompeius, ut primum ad rem publicam aggressus est, quemquam animo parem tulit.

Duas factiones depravatis moribus ultimorum reipublicae liberae temporum facile nixas esse, iam Sallustius indicat, quomodo iam supra commemoravimus [1]). Lucanus avaritiam, luxuriem, fidem decoctam, scelera ob auri famem perpetrata causas corruptorum et ad omnia facinora propensorum civium esse existimat. Ambitus et fraus omnis generis urbi letalis erat: multis autem ob ipsas causas eas utile bellum.

Imago Patriae, quae ad undas tumidi Rubiconis teste Lucano Caesari trepidans visa est, apud historicos non invenitur. Alius ostenti Suetonius mentionem facit [2]): „Quidam eximia magnitudine et forma in proximo sedens repente apparuit, harundine canens: ad quem audiendum cum praeter pastores plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos et aeneatores rapta ab uno tuba prosilivit ad flumen et ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam". Deinde Suetonius refert Caesarem notissima verba dixisse. „Eatur quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat: 'Ανερρίφθω κύβος". Lucani animus poëticus Caesaris mentem perturbatam alia ratione depinxit, neque negare ausim descriptionem eius poëtae eximii ingenio dignam habendam esse. Verba ipsa: alea iacta sit, quae apud Plutarchum legimus [3]) (ἐκβοήσας: ἀνερρίφθω κύβος, διεβίβαζε τὸν στρατόν), apud poëtam non invenimus, licet versuum 225 et 226 eadem sententia internoscatur:

Hic, ait, hic pacem temerataque iura relinquo,
Te Fortuna, sequor. Procul hinc iam foedera sunto.

Fluvium Rubiconem stagnasse eo die quo Caesar traiecerit, unus Lucanus auctor est. Id tantum ornamentum poëticum esse, suspicari fas est, quo statum rerum, patriae imagine visa iam terribilem, etiam atrociorem redderet, quamquam per anni tempus non omnino difficile ad credendum esset. Neque Suetonius, neque Cassius Dio, neque Plutarchus, neque Livius denique eiusque imitatores Rubiconis tumidi mentionem faciunt [1]).

¹) Sall. Catil. § 10.
²) Suet. Div. Jul. 32.
³) Pomp. 60.

Facto Senatus consulto ultimae necessitatis ad Caesarem tribuni plebis sese contulerant, summa celeritate, meritorio vehiculo usi, ut ipse Caesar testatur [2]). Is eo tempore iam Ravennae erat, ubi postulatis responsa expectabat, si qua hominum aequitate res ad otium deduci posset. Caesar et Lucanus nobiscum communicant Curionem cum tribunis plebis Caesari Arimini praesto fuisse. Manifesto autem falluntur. Falso enim Caesar scribit se tum demum Ariminum profectum esse, quum de iis rebus certior factus esset, quas paucis ante commemorasset, quippe quae post tribunorum profectionem acciderint. Falsum etiam est, quod narrat se iam antequam Ariminum esset profectus, tribunis illatas iniurias apud milites conquestum esse. Recte igitur Lucanus cum Appiano [3]) congruens contionem, de qua paucis post videbimus, Arimini habitam esse tradit.

Audax Curio, qui Caesaris extremas conditiones ad senatum detulerat, a poëta non immerito perhibetur venalem linguam habere [4]); eius vox quondam populi (nam a. d. V. Id. Dec.

¹) Confer. Creisenach pag. 29 (die Aeneis, die 4e Ecloge und die Pharsalia im Mittelalter. Frankf. 1864). „Konrad von Querfurt, Kanzler Heinrichs VI. berührt Modena oder Mutinae labores (Phars I 41) er komt an den Rubicon (parvi Rubiconis ad undis.) (Phars. I 213) und bemerkt: Cuius parvitatem stupido intuentes obtuta disertissimi illius poëtae Lucani admirati sumus facundiam, qui de re tam humili, tam grandiloquo intumuit eloquio.
²) I. 5, 4.
³) App. B. C. II 33.
⁴) App. B. C. II 27. Κουρίωνα δὲ καὶ ἐπρίατο συμπράττειν ἐπὶ πλειόνων (quam Appium Claudium), εἰδὼς ἐνοχλούμενον ὑπὸ χρεῶν πολλῶν.

DCCIV. U. C. [9 Dec. 49 a C. n.] tribunatu se plebis abdicaverat), ducem varias curas volventem alloquitur, ut verbis animum ei addat haesitantemque confirmet. Verba autem quae Lucanus scripsit manifesto ficta sunt, a nullo scriptore enim memoriae prodita sunt, quum tamen Caesaris sequentia eandem fere sententiam habeant, quam ex contione apud Caesarem ipsum colligimus [1]. „Socii bellorum — sic Lucanus Caesarem contionantem inducit — qui mille pericula mecum experti decimo iam vincitis anno, num cruor diffusus hanc contumeliam meruit? Sit mihi merces laborum erepta: vobis saltem praemia belli reddantur." Apud Caesarem: „Dux postquam commemoravit iniurias inimicorum, postquam invidiam et obtrectationem Pompeii questus est, cui semper faverit atque adiutor fuerit, postquam novi in republica exempli introducti mentionem fecit ut tribunicia intercessio armis notaretur et opprimeretur, milites hortatur, cuius imperatoris ductu novem annis rempublicam felicissime gessissent ut eius existimationem dignitatemque ab inimicis defendant".

Ambo responsa fere eandem vim habent; apud Caesarem legionem XIII conclamare audimus, sese paratos esse imperatoris sui tribunorumque plebis iniurias defendere, quum apud Lucanum militum opinionem per primumpilum nescio quem Laelium indicet, qui longiore oratione eundem commilitonum animum testatur.

Orosius hic nos breviter docet quae Lucanus copiosius narravit: Caesarem milites adhortatum esse, eosque edocuisse quid facto opus esset. Ipsum Livium hic Orosius auctorem nominat.

Iam vidimus Livium nullam mentionem fecisse eorum quae

[1]) B. C. I. 7.

de Curione narrantur. Unde sequitur et Florum de his tacuisse. Neque Plutarcho neque Cassio Dioni in his rebus nos fidem habere fas est, quum ambo non satis discernant quae hoc, quaeque superiore anno in senatu peracta essent Itaque haud facile est statuere quem auctorem Lucanus secutus sit. Fieri potest ut Livium auctorem habuerit, qui ipse ex Caesaris commentariis haurire potuerit. Eo facilius hoc statuimus, quoniam eodem modo Lucanum errasse quo Caesarem, ceteroquin eum cum commentariorum auctore consentire videmus. Pro certo autem statuere nolimus.

Quae Lucanus versibus 392 seqq. nos docet, Caesarem cohortes per Gallica rura sparsas evocasse easque Arimini collegisse ipse Caesar fere iisdem verbis confirmat. (I. 8)

Post longiorem enumerationem omnium gentium quae Caesarem sequuntur „mente pronae in ferrum", Lucano obiter expugnatione multarum urbium commemorata ad repentinum terrorem describendum transit, qui Caesare Romae appropinquante cives invasit. Equites inimici ibi iam adesse falso nuntiabantur, quo rumore evulgato consules et plerique magistratus urbem reliquerunt, ipso Caesare teste [1]). Capuam omnes contenderunt, citra quam urbem nihil iis tutum esse videbatur. Urbs tota deseritur victori facilis praeda relicta. Lucanus ignavis timidisque profugis veniam denegare non vult: eos purgari putat verbis: „Pompeio fugiente timent". Quasi vero ducis socordia fautorum ignavia excusari posset! Illa defendendi ratione poëta neque auget illius dignitatem, neque horum culpam diminuit. Non omnes autem factionis Pompeianae fautores hanc fugam approbasse Cicero testis est [2]).

[1]) B. C. I. 14.
[2]) Ad Att. VIII 3.

„Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter; (nota si placet vitium cuius sibi Pompeius conscius esse poterat!), addo etiam nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in republica ille aluit, auxit, armavit; ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor; ille Galliae ulterioris adiunctor; ille gener, ille in adoptando P. Clodio augur, ille restituendi mei quam retinendi studiosior, ille provinciae propagator [1]; ille absentis in omnibus adiutor, idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor reipublicae coepit, contendit ut decem tribuni plebis ferrent ut absentis ratio haberetur, quod idem ipse sanxit lege quadam sua Marcoque Marcello consuli finienti provinciis Galliis Kalendas Martias restitit. Sed ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu sive potius turpissima fuga?"

Hoc apertum amici iudicium, opinor, Pompeio satis esse potuit, vera amicitia equidem dignius, quam illam inanem Lucani excusationem habeo, qua fore ut venia impetraretur sperare ausus est. Amicum cum vitiis ferendum esse iam Horatius poëtam nostrum docere potuit [2]).

Non tantum timor Caesaris appropinquantis cives magistratusque ex urbe expulerat; haud minorem terrorem portenta, monstra, prodigia Romanis inferebant, in quibus enumerandis poëta quadam voluptate versatur. Neque reliquiae Livianae, neque Florus, neque Orosius eorum mentionem faciunt. Apud Iulium Obsequentem legimus ea quae ex Livio eum sumsisse notum est. Neque Cassius Dio praetermittit [3]) *στρατιώτας τε γὰρ κεραυνοὶ ἐν αὐτῷ τῷ προάστῳ ἔφθειραν, καὶ τὰ σημεῖα τὰ*

---

[1]) Legere mallem: prorogator.
[2]) Hor. Sat. I. 3.
[3]) B. C. XLI 14.

στρατιωτικὰ ἀράχναι κατέσχον, ἐκβάντος τε ἐκ τῆς νεὼς αὐτοῦ ὄφεις τὸν στίβον ἐπισπόμενοι συνέχεον .... Σεισμοὶ συνεχεῖς μετὰ μυκηθμῶν ἐγένοντο, ... Ὁ ἥλιος σύμπας ἐξέλιπε. κ. τ. λ. Ei Appianus consentit [1]). *ἥ τε βουλὴ παρὰ δόξαν αὐτοῖς ὀξείας τ᾽ἐσβολῆς τοῦ Καίσαρος γενομένης, ἐδεδοίκεσαν, ἔτι ὄντες ἀπαράσκευοι .... Τέρατά τε αὐτοῖς ἔπιπτε πολλὰ καὶ σημεῖα οὐράνια. Αἷμά τε ἔδοξεν ὁ θεὸς ὗσαι, καὶ ξόανα ὑδρῶσαι, καὶ κεραυνοὶ πεσεῖν ἐπὶ νεὼς πολλοὺς καὶ ἡμιόνον τεκεῖν.... κ. τ. λ.* Ad fastidium usque Cassius Dio consuetudinem perducit narrandi interpretandique prodigia, insomnia, portenta. Horum quamquam Livius ceterique scriptores non parvum exhibeant numerum, tamen non uno loco innuunt se minime iis fidem habuisse, sed ob religionem tantum ea ex Annalibus retulisse. Cassius Dio maximi prodigia facit et eo usque superstitionis progreditur ut terribiliora etiam ea reddat. Sic ubi Livius (apud Iul. Obs. Cap. 126) in Crassi expeditione describenda narrat „decimae legionis aquilae, quae fulmina tenebant visae dimittere et in sublime avolare, Dio, quasi hoc revera factum sit, tradit [2]): *οἱ δὲ δὴ ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων .... τοὺς κεραυνοὺς, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν ἔφερον, ἐκβαλόντες ἀπεπέτοντο.* Quarum rerum in maius auctarum multa etiam exempla ex Dione promere possimus. Fieri igitur potest ut apud Livium, quippe qui eiusmodi rerum amantissimus esset, Lucanus enumerationem portentorum prodigiorumque legerit, quam Cassius quoque Dio Livium secutus operi suo inseruerit.

Nondum vidimus ex quo fonte Lucanus ea, quae ad Rubiconem factum esse tradat, sumserit. Caesaris Rubiconem transeun-

---

[1]) App. B. C. II. 36.
[2]) B. C. XLIII. 35.

tis mentio fit neque apud Florum, neque apud Orosium. Caesar, quem interdum Lucano auctorem fuisse videbimus, poëtae hac in re fontem praebere non potuit, quippe qui iustam ob causam totam hanc rem silentio praeterierit, quam si narravisset numquam civibus suis probasset [1]). Cum Suetonio ac Plutarcho eum, in summa re congruere vidimus. Livium etsi hoc factum silentio non praeteriisse verisimillimum est, pro certo tamen affirmari nequit poëta ex eo fonte hausisse. Quia tamen et in moribus ducum depingendis, et in portentis narrandis manifestum consensum existere negari non potest, et quum constet Cassium Dionem in moribus Caesaris et Pompeii describendis cum Floro, sedulo Livii imitatore, congruere, coniectura audax esse non videtur Lucano Livium fontem fuisse.

Paucis nobis libet attingere quid hac in re de Appiano statuendum sit. Et Heeren et Wynne [2]) non solum suspicantur, sed etiam exemplis probaverunt, Appianum partim Polybuim partim Livium secutum esse. Multa exempla enim similitudinis, quae inter Livii fragmenta et Appianum intercedit, ab utroque commemorantur. Ut hoc tantum afferamus, quia ad rem ipsam quam tractamus pertinere videtur, eodem ordine et apud Appianum et in Epitomis Livianis legimus Caesarem cum exercitu in Italiam venisse, Corfinium ab eodem captum ac Pompeium eiusque sectatores Italia expulsos esse. Maior Appiani ubertas non impedit quominus consensum cum Liviana Epitome deprehendamus. Ambo porro congruunt ubi C. An-

[1]) Minime opus est haec atque alia parum accurate atque diligenter a Caesare vel tradita vel praeterita, tribuere morbo comitiali quo Caesar laborabat, quem ad modum vult Ferd. Seck (Essen 1864). Quasi Caesar ea ipsa oblitus esset quae sibi detrimento esse possent!

[2]) Wijnne. De fide et auctoritate Appiani.

tonium legatum Caesaris in Illyrica male contra Pompeianos rem gessisse narrant: C. Curionem, Caesaris legatum in Africa a Iuba rege Mauritaniae cum exercitu occisum esse, denique Caesarem veteranis, qui seditionem movissent, missionem postulantibus dedisse. Eundem consensum videmus ubi pugnae apud Dyrrhachium et Pharsalum describuntur, licet Epitomarum brevitas nobis non leve impedimentum praebeat quominus cernamus Livium et Appianum eadem tradidisse. Inde vero quod apud Livium nihil invenitur quod apud Appianum desideratur, colligere fas est vel Appianum ex Livio sumsisse, vel saltem utrumque ex eodem forte hausisse. Si quis tamen, inquit Wynne [1]), talibus lectis adhuc dubitaverit, hoc consensus documentum profero. Livius de bello, tempore Camilli contra Gallos gesto, expromens putat, aurum, quod Gallis ereptum et inter trepidationem ex aliis templis in Iovis cellam collatum esset, sacrum omne iudicatum et sub Iovis cella in Capitolio poni iussum esse. Iam Appianus hoc libro Caesarem illas pecunias abstulisse tradens, eandem narrationem sequi videtur.

Nonnulla tamen prodigia, quae procul dubio Livius retulit, quum eorum mentionem faciat Iulius Obsequens, apud Appianum omittuntur: multa etiam apud eum desiderantur quae apud Dionem inveniuntur a Livio sumta. Quod tamen admirationem nostram movere non oportet, quia Appianus raro prodigia atque portenta memorat [2]). Hoc igitur discrimen pro causa haberi nequit, cur Appianus Livii opus non consuluerit, licet contendere nolimus similitudinem inter Appianum et Li-

[1]) Pg. 36.

[2]) Appianum non eo usque superstitionis progredi, ut Dionis instar prodigia maximi faciat, sed fortasse magis ad ingenium antiquitatis demonstrandum portenta eum retulisse, Wijnne exemplis nos docet (pg. 79).

vium tantam fuisse, ut Livii opus in illius libris servatum esse existimemus [1]). Sed Appianum et Florum et Orosium diligenter legenti dubitatio non subit tresne illi auctores Livium ante oculos habuerint necne. Recte enim Wynne dubitat num Florum Appianus ipse in partes vocaverit; cur enim rivulum derivatum eumque saepius turbatum adiisset, quum ex fonte limpido haurire ei liceret?

Denique Lucanus personam ex historia notam, astrologum Figulum inducit. Publius Nigidius Figulus vir doctus, et nobilis, eo tempore magna auctoritate fruebatur, atque ex omni genere doctrinae et philosophiae theologiam conflabat, quam cocturam, ut ita dicam, Pythagorae nomine adhibito, aequalibus apponebat. Neque infeliciter piam fraudem moliebatur, quem ad modum patri principis Augusti futuram filii magnitudinem vaticinatus est. Sic nova theologia non solum mira, sed etiam mirifica erat: qua ratione sibi Figulus viros honestissimos atque nobilissimos, (ut Appium Claudium consulem; doctissimum Varronem) devinciebat. Paene dixerim: idem hodie apud nostrates saepe fieri solet; nam nostris quoque temporibus, quum mens omnibus modis excolatur atque a superstitione eruditionis beneficiis defendatur, plurimi tamen inveniuntur homines qui, dii meliora! ridiculis artibus manes evocare conentur, quosque prodigiis credere non pudeat.

Figulus ille tamquam vir magnae auctoritatis a poëta inducitur, qui malum Romae imminens praedicat finemque instantium malorum vaticinetur: „Pax cum domino veniet", quam poëtae opinionem hic primo cognoscimus, postea autem semel atque iterum inveniemus.

---

[1]) Conf. Wijnne, pg. 38.

Liber secundus.

Ex iis quae a poëta libro primo canuntur, Romae maximus maeror et animorum defectio sequebantur. Ferale per urbem iustitium; cives primo questus suos ut supervacuos tenebant; dolor sine voce errabat. Poëtice omnio Lucanus Romam cum domo comparat, ubi parentes nondum crine prae dolore soluto, oculos moribundi in morte natantes adspiciunt inter spem metumque suspensi: necdum est ille dolor, sed iam metus. Matronae queruntur; quum alter vicerit, tunc demum gaudendum erit. Neque viri iustas in saevos deos querelas retinent: semetipsos infelices vocant quod temporibus Hannibalis nati non sint; libenter in numero eorum fuissent, qui cladibus apud Cannas et Trebiam acceptis interfuerint. Tunc operae pretium erat sanguinem pro reipublicae salute effundere; tunc hostes depellendi erant; nunc autem fratri contra fratrem pugnandum:

Tantone novorum
Proventu scelerum quaerunt uter imperet urbi?
Vix tanti fuerat civilia bella movere
Ut neuter. (60)

Hic aliquis rei publicae perturbationem memorat, quum Marius post Teutonicos et Libycos triumphos exstitisset, quum Sulla, fortuna mobili et fallaci mutata, inimicum superaret, quem mors ipsa saepe refugit, cuiusque sanguinis invisi frustra potestas hosti concessa est. Solvit Marius servorum catenas, ut primum ei post fugam fortuna rediit: nulli gestanda signa ducis dabantur, nisi qui usum scelerum iam fecerat, atque in castra crimina et nefas afferrebat. Quis fuit ille dies, quo Marius victor Romam intravit, quo ubique mors saeviit, et nobilitas cum plebe periit! Stat cruor, Lucanus inquit:

Stat cruor in templis, multaque rubentia caede
Lubrica saxa madent. Nulli sua profuit aetas.

Quid omnes a poëta enumeratas caedes referemus? Neque Lucanum secuturi sumus in enarrandis victoris Sullae sceleribus sanguinis plenis. Hoc tantum sufficiat: flos Italiae (ut poëta dicit, „Latii iam sola iuventus"), tunc concidit et Ovilia miserrimae Romae sanguine inquinabat. Num Sulla his rebus gestis Felix vocari meruit; et sibi medio Campo tollere tumulum? Mox responsum mihi quaerenti dare poteris, nam rursus haec omnia patienda erunt; hic stabit exitus civilibus armis.

Sic senes, memores praeteriti, futuri metuentes queruntur.

Non omnium autem animi fracti: Brutus magnanimus nulla formidine motus consilium ab amico paterno Catone petit, cuius domum noctu se confert. Invenit virum illustrem securum sui, fata autem urbis volventem, cunctisque timentem. Brutus ut animum suum firmet rogat: „Cato dux Bruto solus erit. Alium alias causas in bellum sceleratum rapere dicit; mihine uni bella per se placent? Quod quum ita esset, bella me nocentem redderent. Melius fortasse sine armis tranquillum otium agere? Nescio quam partem sequar. Tu Cato, responde et consule." Cato fatetur bella civilia summum nefas esse. Sed virtutem securam sequi oportet quo fata trahunt. Si Cato nocens factus erit, non sua, sed deorum culpa fiet. Quam ob rem Cato solus otium ageret? nefas esset bellum fraudare suo sanguine. O utinam sibi liceret, hoc caput in omnium poenas damnatum exponere: libenter pervius hastis, Cato exciperet omnia belli vulnera: suo sanguine populum redimere vellet, iugulus suus pacem omnibus caram atque optatam daret; frustra enim leges et inania iura tueri conatur. Pompeium autem Brutum sequi iubet; nec ille quidem, si fortuna favebit, manibus ab imperio abstinere poterit:

Sed ideo me milite vincat
Ne sibi se vicisse putet.

Quibus verbis Cato propositum assecutus, Bruti animum accendit in nimium civilis belli ardorum.

Deinde poëtam Marciam inducit, antea Catonis uxorem, quam sua sponte amico Hortensio cesserat. Marcia iam moerens morte mariti se domum Catonis confert, precata ut foedus prisci tori renovare velit: „da, inquit, tantum inane connubii nomen: liceat tumulo scripsisse: Catonis Marcia. Da mihi tua castra sequi; cur secura in pace relinquar, quum maritus meus pro patriae libertate periclitatur?" Preces Catonem movent: iunguntur taciti, „contenti auspice Bruto." Hic est locus neque laetitiae neque gratulationi: neque horrens caesaries neque moesta barba gaudium admittunt. Lucanus enim narrat Catonem, ut primum civile bellum oriri intellexisset, passum esse intonsos crines in frontem descendere barbamque promisisse.

Versu 392 poëta ad historiam ipsam revertitur. Narrat Pompeium tenuisse moenia Dardanii coloni, (Capyn intelligit), Capuam, qua ex belli sede hostem aggrederetur: Caesar autem, in arma furens dicitur gaudere, se nullas nisi sanguine fuso vias habere. Saevus in agros vacuos irrumpit, bellaque bellis conserta gerit. Non tam patentes portas intrare quam effringere iuvat. Concessa via ire pudet: ferro ignique agros vastare ei voluptati est. Quodsi ita esset, haud mirum Caesarem aura populari non frui, populumque in Magnum proniorem esse. Terror autem facile mentes flectit: Etruriam nudatam Libonis praefecti fuga, acceperat praetor Q. Minucius Thermus, qui tamen Curione appropinquante in fugam se dedit. Item Faustus Sulla Caesaris nomine audito sacram libertatis causam destitit, haudquaquam auspiciis pa-

ternis civilia bella gerens. Varus Auximum deserit, Lentulus arce Asculea depellitur. Omnibus victor instat, aciesque divertit: solus dux ex agmine tanto effugit. Scipio quoque, Nuceriae, cui praepositus erat, arcem sibi commissam deserit. Lucius Domitius Ahenobarbus, Caesaris in Gallia successor, cum viginti cohortibus Corfinii in praesidio erat. Ad ultimam defensionem primo vires, quantum posset, intendit. Milites perfidi proditione ex cogitata reseratis portis captivum ducem Caesari tradunt, qui Domitio impunitatem dat, vinculaque adstrictis palmis laxanda iubet. Ignosci tamen huic extremum poenarum est, quum partes Pompeii et senatus secutus sit, munus Caesaris refugit et ad Pompeium se confert, ut beneficii oblitus pro patria contra degenerem victorem de libertate dimicet.

Pompeius, nescius Domitii capti, exercitum parabat, cuius militibus animus ad magnas res gerendas deerat, quique ne oratione quidem acri et fervida ducis excitari poterat. Quo factum ut Pompeius (Lucano saltem teste) consilium Corfinii obsidione liberandi omittere deberet. Metus militum maior erat quam qui pericula itineris susciperent: nullo clamore verba ducis sequuntur. Sensit et ipse metum Magnus: Lucanus addit: placuit signa referri, Brundisiumque ipse petit, quum autem filium maiorem natu Sextum iubet „recessus mundi tentare." Mandat Sexto ut inprimis regiones ad Orientem spectantes evocet eo consilio, ut populi olim a Pompeio subacti, nunc pro eo arma suscipiant. In Graeciam et Macedoniam consules emittit, qui novas vires acquirant.

Caesar in omnia praeceps „nihil actum reputans cum quid superesset agendum," generi vestigia premebat, molibusque undas obstruebat, ad quod litus Pompeius facultatem transeundi exspectabat. Vorax tamen mare omnia saxa, quae immittebat,

hauriebat; ubi nullam molem sibi suppetere pro maris altitudine videbat, rates trabibus coniunctis faciendas curabat, quibus Pompeius, Brundisium relinquere prohiberetur. Noctium tamen tenebris iuvantibus Pompeius custodes fallit: Caesariani moenibus recepti, Pompeium altum petentem viderunt. Interea primo portus civili sanguine rubuit, quum duae naves molibus Caesaris haererent et bellum in littus traheretur, dum cetera classis effugit.

Ubi illuxit Pompeius iam in alto erat, sed quantum mutatus ab illo, qui piratis subactis in patriam nave veheretur! Nunc Fortuna lassata triumphis magni viri, eum destituit. Cum uxore filiisque, inquit poëta, exsul a patria depelleris, non quia tibi superi sepulchro in patria privare maluerunt et Aegyptum, ubi diem supremum obires, elegerunt. Melius etiam fatum, Lucanus exclamat, tibi distinaverunt:

> Parcitur Hispaniae; procul hoc, et in orbe remoto
> Abscondit Fortuna nefas, Romanaque tellus
> Immaculata sui servatur sanguine Magni.

In fine libri perturbationem, Caesare appropinquante Romae ortam, iam vidimus confirmatam Caesaris ipsius, Ciceronis, Appiani testimoniis. Querelas igitur tam senum quam mulierum, secundo libro ineunte, immodicas haberi non opus est, neque nimium verbis auctas. Scelera et mala temporum Sullae Mariique nonnulli superstites memoria tenebant, neque fieri poterat, quin memores illi quas res tunc perpessi essent, bella civilia exsecrarentur. Poëta facultate oblata utitur, qua Marii historiam recordetur: ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, (i. e. qui munere lictoris vel viatoris fungitur) natione Germanus [1]),

---

[1]) Plut. Mar. 39 Γαλάτης τὸ γένος, ἢ Κίμβρος. Ἀμφοτέρως γὰρ ἱστορεῖται. Conf. Peter, Die Quellen Plutarchs, pg. 103: Nach Livius

qui forte ab imperatore bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno eiulatu expromente indignationem de casu tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere, quum senex haec verba edidisset: „Fas haec contingere non est colla tibi" [1]), quae ab aliis ita traduntur: „tune audes occidere Marium?" (συ τολμᾷς κτεῖναι Γάιον Μάριον; App. I. 61) Neque poëta Marium praetermittit in parietinis Carthaginis sedentem: „premit cineres Poenos."

Versu ipso centesimo Lucanus indicans tristem Marii Cinnaeque introïtum, anno DCLXVI U. C. 87 a. C. n. exclamat: „quis ille fuit dies quo Marius moenia victor corripuit!" quam vocem „corripuit", intelligi non oportet ut nonnulli interpretes voluerunt per „diripuit", quod ad Marii avaritiam spectaret, sed per „celeri gradu intravit." Velleius Paterculus enim, caedibus suppliciisque enumeratis, refert [2]): „neque tamen quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit ut avaritia, saevitiae causam praeberet". Valerius Flaccus [3]) etiam „corripit" eodem sensu quo hic Lucanus utitur: „aequora Delphin corripit."

Et caedes duorum Crassorum memoratur, trucidatorum a. C. Flavio Fimbria, qui etiam Marii funere celebrato Pontificem Maximum Q. Mucium Scaevolam in aede Vestae vulnerari iussit. Licet Liv. Epit. 80, Crassus filius ab equitibus Fimbriae

---

Epit. 77. sollte ein Gallier den Marius ermorden, nach Valerius Maximus een Cimbrer: Plutarch erzählt beides: wie auch Livius beides neben einander gestellt zu haben scheint.

[1]) Vell. Paterc. II. 19.

[2]) II. 22.

[3]) Argonaut. I. 132.

interfectus esse narretur, et Appiano auctore a patre ipso occisus esse dicatur, aequitatis gratia tamen nobis Flori locus commemorandus est, ne crudelissimo historiae enarrandae modo Lucanus semper usus esse videatur. Florus cum Lucano consentit, ubi dicit [1]) „Crassi pater et filius in mutuo alter alterius aspectu trucidantur".

Iam in hac parte, quam tractavimus, e quibus fontibus Lucanus hauserit, videamus. Liv. Epit. CVIIII nihil nos edocet. Et Florus et Orosius eodem modo narrant, omnem senatum et Pompeium trepidantes Roma fugisse, Italiamque reliquisse, crescentibus Caesaris viribus. Mirum in modum apud Florum verba eiusdem significationis leguntur quae apud Lucanum: „peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Caesar Brundisii opprimere potuisset".

Ubi in hoc libro secundo Lucanus de Marii historia agit, interdum et Livium, et Appianum et poëtam nostrum congruere videmus: eodem modo enim narrant servum maiestate tanti viri perterritum, recessisse, neque caedem perpetrare potuisse. Non autem eadem ratione, ut iam vidimus, de natione servi congruunt: fortasse apud Livium legerat, servum vel Cimbrum vel Gallum Marium aggressum esse, e quibus priorem elegit.

Neque consensum animadvertimus inter Florum et Livium, Appianum et Lucanum, ubi mortem duorum Crassorum narrant. Lucanum cum Floro consentire videmus, Livium autem scripsisse [2]), patrem suo gladio, ne quid indignum sua virtute pateretur, se transfixisse, quod quidem Cicero affirmat [3]). Appianus refert, filium, ne in postestatem persequentium veniret,

---

[1]) C. III. 21. § 14.

[2]) Epit. 80.

[3]) Cic. de Orat. III. 3.

a patre occisum esse. Fortasse hic libertate poëtis concessa Lucanus usus est, ut maiorem sortis infelicium virorum misericordiam apud lectores moveret. Quo enim ex fonte discrimen fluxerit indagari iam non potest. Mirum tamen mihi non videretur si Florus Lucani hic auctoritate usus esset, etsi O. Jahn in Flori Editione non recepit, ubi, quae Florus ex Lucano sumsisse videtur, retulit.

Bruti et Catonis colloquium a poëta fictum esse arbitramur, quippe cuius a nullo historiarum scriptore mentio facta sit. Colligi tamen potest e Bruti Vita, a Plutarcho descripta, avunculum Catonem maxima veneratione a Bruto cultum esse. Fieri igitur potest, ut quomodo Lucanus narrat, Catonem convenerit. Catonem tam metu quam spe liberum in certamen descendisse constat. Bella civilia ut summum nefas detestatur, sed fatum eum trahit. Roma cadat, non autem Catone securo. Lucanus potestate sibi data usus est, ut Catonem pro se ipso Stoïcam philosophiam laudantem inducat; quem iam ante (I. 128) virtutis et iuris propugnatorem fato ipsi resistentem designaverat. „Cato spiegelt in der Unterredung mit Brutus die auch äusserlich durch einfache, nachlässige Kleidung und Häuslichkeit dargestellte Stoa ab; er verabscheut den Bürgerkrieg als Verbrechen, trägt aber keine Scheu vor dem Gehorsam gegen das rufende, sterblichen Kräften überlegene Schicksal, und schiebt diesem die Verantwortlichkeit zu, persönlich für den letzten Blüttropfen bereit, wenn dadurch die Sünden des Volks gesühnt werden könnten. Es handele sich nicht um Caesar und Pompeius, sondern um Recht und Gewalt [1]).

---

[1]) Fr. Kortüm, Gesch. Forschungen im Gebiete des Alterthums p. 240.

Deinde Lucanus ad historiam revertitur, ubi Marciam viduam Hortensii, cui antea uxorem cesserat [1]), inducit, precantem, ut sibi liceat Catonis curarum et laborum participem esse, ut antea comes rerum secundarum fuisset. Iunguntur nullo nisi Bruto teste adhibito, neque ornatum solemnem induti, nam Cato dicitur μήτε κεφαλὴν ἔτι κείρασθαι μήτε γένεια, μήτε στέφανον ἐπιθέσθαι. πένθους δὲ καὶ κατηφείας καὶ βαρύτητος ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς τῆς πατρίδος ἓν σχῆμα νικώντων ὁμοίως καὶ νικωμένων ἄχρι τελευτῆς διαφυλάξαι.

Pompeium se Capuam contulisse, qua urbe sede belli uteretur, Caesar ipse auctor est [2]), quum narrat, Pompeium cum profugis senatoribus sese Capuae primum confirmasse eoque delectum colonorum habere instituisse. Quam rem a Dione Cassio confirmatam videmus. Neque a fide historica Lucanus discedit, quum Caesarem celeriter progredientem describit, idemque cum historicis congruere videtur ubi affirmat, populum in Magnum proniorem esse quam in Caesarem. Mommsen scribit [3]): „In den eigentlichen Italiën war Caesars Einfluss dem der Gegner nicht entfernt zu vergleichen..... Die Masse der Bürgerschaft liess sich nicht irren, und sah, als der Commandant von Galliën seine Legionen gegen Rom in Bewegung setzte, allen formalen Rechtserörterungen zum Trotz, in Cato und Pompeius die Vertheidiger der legitimen Republik, in Caesar den democratischen Usurpator. Allgemein erwartete man ferner von den Neffen

---

[1]) App. B. C. II. 99. Ἔδωκε Μαρκίαν, καὶ ἀρεσκόμενος αὐτῇ μάλιστα, καὶ παῖδας ἔχων ἐξ ἐκείνης, Ὁρτησίῳ τῶν φίλων τινί, παίδων τε ἐπιθυμοῦντι καὶ τεκνοποιοῦ γυναικὸς οὐ τυγχάνοντι, μέχρι κἀκείνῳ κυήσασαν ἐς τὸν οἶκον αὖθις ὡς χρήσας ὠνεδέξατο.

[2]) B. C. I. 14.

[3]) Röm. Gesch. III. 379.

des Marius, den Schwiegersohn des Cinna, den Verbündeten des Catilina, die Wiederholung der Marianisch-Cinnanischen Greuel, die Realisirung der von Catilina entworfenen Saturnaliën der Anarchie".

At terror Caesaris appropinquantis effecit, ut fere nemo victori resistere auderet, cuius terroris poëta exempla ex historia quoque repetita, commemorat.

Scribonius Libo, praefectus Etruriae, ad Pompeium confugit. Thermum, qui Iguvium quinque cohortibus teneret, in fugam se dedisse Caesar auctor est [1]). „Interea, inquit, certior factus Iguvium Thermum praetorem, cohortibus V tenere, oppidum munire, omniumque esse Iguvinorum optimam erga se voluntatem, Curionem cum tribus cohortibus, quas Pisauri et Arimini habebat, mittit. Cuius adventu cognito, diffisus municipii voluntate, Thermus cohortes ex urbe reducit et profugit". Lucium Cornelium Sullam Faustum fugisse Cicero in epistula quadam memorat [2]). Attium Varum praesidium, quod introduxisset, ex oppido Auximo eduxisse ac profugisse, Caesar refert [3]); pugna pugnata milites ad victorem perveniunt. Lentulus Spinther arce Asculi despulsus est; idem Scipio, Pompeii socer, Nuceriam hostibus reliquit.

In his nihil est cui fidem historicam denegemus. Quae autem Corfinii acta sunt, poëta nobis probare non potest. Supra, quo modo Domitium nobis poëta depinxerit, vidimus; nobiliorem eum reddidit, quam re vera erat: nil nisi proditor ex historiarum descriptione cognoscitur, qui spe auxilii Pompeiani sublata, sibi ipse consilium fugae

[1]) Caes. B. C. I. 12.
[2]) Ad Att. IX. 1.
[3]) B. C. I. 13.

capit, qua eum milites prohibent, ad Caesarem litteras mittendo: sese paratos esse portas aperire, quaeque imperaverit facere, et L. Domitium vivum eius potestati tradere [1]). Quo facto Domitium et alios viros ordinis senatorii, Caesar incolumes dimittit, pecuniam quoque, quam Domitius advexerat, reddit, ne continentior in vita hominum quam in pecunia fuisse videatur. Qua in re vero Caesar testis est habendus, cui fidem omnino habere fas non est. Apud Pompeianos enim famam fuisse constat, eam pecuniam Domitio non redditam esse [2]). Neque Caesari credendum putamus, de numero copiarum scribenti. Nobis enim persuadere conatur, sibi contra magnas hostium copias bellum gerendum fuisse.

Quantum discrimen inter Lucani et historicorum describendi rationem! Neque tantum Lucanus libertate poëtis concessa utitur, quum ex historia Domitium noverimus et proditorem qui suae saluti consulere conatur, et virum pertinacem et animi obstinati, qui iniussu imperatoris, propositum suum urgere cupit; poëta nobis heroëm nobilem proposuit, qui vix munus vitae sibi condonatae e decessoris manu accipere vult, [3]) at nihilominus accipit.

Quae de Corfinio obsesso et capto referuntur, num ex Livio poëta sumserit incertum est, neque umquam decerni poterit, licet nihil apud Lucanum inveniatur quod cum paucis a Livio traditis, cumque iis quae apud Florum et Orosium legantur, pugnet. Livius nobis haec tantum tradit (Perioch. CVIIII) „Corfinium cum L. Domitio et Publio Lentulo cepit, eosque dimisit";

[1]) B. C. I. 20.
[2]) Cic. Ad Att. XIV. 8. 3. Addit illud, sane molestum: pecuniam Domitio satis grandem, quam is Corfinii habuerit, non esse redditam.
[3]) Suet. Div. Iul. 34. Nam L. Domitius per tumultum succesor Caesari nominatus est.

Neque plura Florus dat: „Pulsus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio". Eundem quidem ordinem, quem Lucanus secutus est, servatum videmus, sed Sulla, Lentulus, Varus exciderunt, quorum ne nomina quidem memorantur. Orosius, qui hac quoque in re verborum parcus est, Caesarem refert, tres legiones, quae cum Domitio apud Corfinium morarentur, ad partes suas traduxisse. Hoc re vera factum esse etiam Caesar testis est, quamquam de numeris legionum pro certo dici nihil potest.

Lucanum hanc descriptionem ex Caesare ipso petiisse (quem ad modum sine ulla dubitatione, hic saltem, Appianus fecit, qui ex omni parte cum Caesare consentit) verisimile non est, quia ex Caesare Domitium proditorem cognovimus, Lucanum autem eum partes magnanimi et integri viri agere voluit. — Accedit quod Pompeium Lucanus nescium depingit Domitii sortis. Quod utrum errore an consulto poëta fecerit, nescimus. Si quid Mommsen credere fas est, alteram opinionem veram esse fateri oportet [2]. „So fest — inquit — hielt sich Domitius überzeugt dass Pompeius nur aus Eigensinn zaudere, und nothwendig zum Ersatz herbeikommen müsse, dass er kaum sich ernstlich auf die Belagerung gefasst machte, und nicht einmal die in die umliegende Städte verlegten Recrutenhaufen in Corfinium zusammenzog. Pompeius aber erschien nicht, und aus guten Gründen, denn seine beiden unzuverlässigen Legionen könnte er wohl als Rückhalt für den Picenischen Landsturm verwenden, aber nicht met ihnen allein, Caesar die schlacht anbieten."

Pompeius Domitio roganti, ut sibi auxilio veniret, rescripse-

[1] B. C. I. 25.
[2] R. G. III. pg. 387.

rat [1]) sese rem in summum periculum deducturum non esse, neque suo consilio aut voluntate Domitium se in oppidum Corfinium contulisse. Quo responso vir pertinax et inanis dignus erat. Unde sequitur, consilium Domitii liberandi, plane fictum esse, quod Lucanus heroëm suum capere iubet. Nam quod Pompeius scripserat, se cum omnibus copiis auxilio venturum esse, si qua facultas fuisset, haud facile dux hoc promisso stare potuisset.

Ex iis litteris, quas memoravimus, sequitur, haudquaquam Pompeium nescium fuisse periculi, quod Domitio immineret, ut nobis Lucanus persuadere conatur. Eandem causam habemus, cur suspicemur, poëtam Caesare fonte usum non esse. Videmus enim magnum inter eos discrimen intercedere.

Dio Cassius [2]) de Corfinii obsidione pauca tantum tradidit; quae refert, milites Domitianos proditione ducis detecta partes Caesaris secutos esse, plane cum Caesaris verbis congruunt, quibus docemur, milites illos (de quibus infra videbimus), sacramentum apud se dixisse.

Contionem, qua Pompeius cum militibus consilium communicat, quamque hi nullo clamoro sequuntur, ingenium poëticum excogitavit et finxit.

Pompeius Brundisium contendit, unde filium Sextum in Asiam mittit: Σκηπιώνα δὲ τὸν πένθερον καὶ Γναῖον τὸν υἱὸν εἰς Συρίαν ἀπέστειλε ναυτικὸν κατασκευάσοντα. (Plut. Pomp. 62). Consules in Graeciam missi esse ab auctoribus dicuntur, non autem, ut Lucanus perhibet, qui populos amicos ad Pompeium a socero defendendum excitarent, sed qui magnam exercitus partem, XXX cohortes, traducerent (a. d. IV. Non. Mart.). Pom-

[1] B. C. I. 19.
[2] B. C. XLI. 10 et 11.

peius circiter decem millia hominum Brundisii retinebat, quos navibus deficientibus traducere nequibat, ibique reditus navium, quibus consules cohortes, sibi commissas transvexerant exspectari debebat. Licet Brundisium occupatum sibi utilissimum esse potuisset, unde postea Italia potiretur, Pompeius tamen diffisus urbis munimentis et urbem non diu defendi posse ratus, consilium Italiam relinquendi inibat. Caesari molibus ratibusque portum praecludere conato, classem aditu prohibere in animo erat. Pompeius naves onerarias, quas in portu Brundisino deprehenderat, adornabat, [1]) quibus tormentis omnique genere telorum completis, opera atque rates Caesaris disturbavit. Hac ratione obsidionem traxit, dum classis redierat, qua Pompeius invitis custodibus, Brundisinisque infensis copias traduxit. A. d. XVI Kal. Apr. nautae taciti, ut Lucanus dicit, rates solvere; et hostes, quum muris recepti urbem intrassent, Magnum fugientem altumque petentem viderunt.

Non discrepare Lucanum et Caesarem videmus, ubi res ad Brundisium gestas narrant. Neque Livius, neque Orosius quidquam dant. Florus scribit: „ille [Pompeius] per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit".

Eadem ratione multa descripta legimus apud Caesarem, qua apud Lucanum: quo modo moles atque aggerem ab utraque parte littoris iacuerit, apud utrumque similiter depingitur: neque consensus desideratur, ubi Pompeium evasisse referunt. Ne duarum quidem navium Pompeianarum Lucanus oblitus est, quae ad moles Caesaris adhaeserunt quaeque scaphis et lintribus reprehensae excipiebantur: „quo primum — inquit Lucanus — rubuit civili sanguine Nereus".

---

[1]) B. C. I. 26.

Hanc igitur partem plane cum Caesaris descriptione congruentem, a Lucano ex illius opere petitum esse suspicamur; eoque facilius ut credamus adducimur, quod ex sequentibus apparebit, Lucanum saepius non solo Livio auctore usum esse, sed ei Caesarem in aliis quoque rebus fontem, e quo hauriret, fuisse.

Liber tertius.

Austro propulsa, classis Pompeium abducens celeri cursu ab Italia avehebatur. Num mirum, exsulem, quum littora patriae carissima, numquam ad visus suos reditura, paullatim recedere videret, tristem atque aflictum secum praeterita reputavisse? Poëta Iuliae imaginem Pompeio dormienti occurrentem facit, quae vaticinetur, quem finem res malis auspiciis inchoatae habiturae sint. Uxor praematura morte rapta infelici duci exprobrare visa est nuptias eius, „nam me coniuge, inquit, laetos triumphos ducebas. Fortuna mutata est toris". Irata nuptiis cum pellice Cornelia [1]), cui fatale est, semper maritos in cladem detrahere, „Caesar — exclamat — teneat dies tuos, noctes Iulia:

numquam tibi, Magne, per umbras
Perque meos manes, generum non esse licebit. (32)

---

[1]) Uxorem eam duxit anno DCCII U. C. (52 a C. n.); filia erat Metelli Scipionis. Antea filio Crassi, qui cum patre a Parthis interfectus est, nupserat. (Plut. Pomp. 55. 74).

Semper maritus meus manebis, bellum civile te meum faciet, morte mihi redderis".

Paulo ante solis occasum naves ad Epiri littus adpulerunt, ubi hospita tellus puppibus faciles accessus obtulit.

Caesarem interea inimici fugae piguit; curam autem belli pectore expulit ad id tantum intentus quomodo amorem popularem sibi conciliaret. Optime sciebat, annonam et irae causam et summi favoris esse. Curionem igitur iubet in urbes Siciliae transcendere, in Sardiniam alium quendam ex amicis mittit.

Quibus provisis Romam contendit agmina non trahens armata, sed pacis vultum habentia. Quantum civium gaudium fuisset, si Gallia subacta in patriam remeasset; quantos triumphos duxisset! Nunc autem urbes eum metuentes accipiunt: neque laeta ei turba obvia venit:

gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, et se non mallet amari. (83)

Ita animo affectus moenia Romae subit; haud mirum cives laetitiam non simulare; vix contra odisse vacat. Senatores in aede Apollinis adsunt, non tamen iure ac ritu a consulibus convocati; neque consul, neque praetor adest; sedes curulis vacua. Senatores sedent decernere parati quidquid victor petiturus est. Lucius Metellus, tribunus plebis, Caesari aedem Saturni perfringere conanti obstitit, ut corpore ipso aerarium a manibus rapacibus defendat, exclamans templum non nisi per suum corpus intratum iri. Quibus verbis accensus, Caesar ei spem honestae mortis aufert, dicens eum ira Caesaris dignum non esse. Tunc Cotta quidam Metello persuadet, ut ab incepto nimium audaci desistat, cuius verbis motus, tribunus plebis consilium moriendi libenter mutat. Pulchris versibus Lucanus enumerat quibus ex opibus aerarium, multos per annos intactum, constet. Omnia quae Pyrrhus, quae Carthago, quae Philippus, quae Perseus, quae Asiae denique populi olim miserant, tunc egeruntur,

Pauperiorque fuit tunc primum Caesare Roma. (168)

Quibus narratis Lucanus ad, Pompeium redit, cuius copias recenset. Graecia magnam partem tribuit: Athenas quamquam delectus rogatus erat, totas exhausit, tresque tantum carinae navalia relinquunt, quae Salamina petant, indignae nomine praeclaro, tot pugnis navalibus parto. Omnes pro viribus opem ferunt. Neque Thessalia, neque Boeotia deest, adest ἑκατόμπολις Creta; Troiana iuventus castra Pompeiana petit, neque fabula de origine Caesaris eos retinere potest. [1]) Tyrus Sidon, Damascus; Aethiopia, Cilicia, Cappadocia milites mittunt, omnes Orientis populos fama belli excitat:

Acciperet felix ne non semel omnia Caesar,
Vincendum pariter Pharsalia praestitit orbem (297).

Caesar Alpibus iterum superatis Massiliam petit, quae civitas, quum alii populi terrore paverent, Graecorum levitate non usa, causas et signata iura quam fata sequi maluit. Mentem et furorem Caesaris pacifico sermone deflectere conantur: si victor bellum excludi sierit, libenter eum muris recepturi sunt. Locus Caesari et Pompeio tutus sit, quo inermes bello confecto veniant. Pro libertate autem cives obsidionem sustinere non parant. Quamquam Caesar cohortes gaudere iubet, quod potestas Massiliae delendae iis oblata sit, urbs pro pace petita poenas dabit. Massilienses interea portas clauserant et Caesar obsidionis nobilissimae initium facit. Dux, ut urbem,

---

[1]) Non opus est putare, recte Creisenach (quem iam supra pg. 54 memoravimus) iudicasse, ubi docet (pg. 30) hoc ipso versu 213°, poëtam originem Juliae gentis ab Aenaea ductam, Caesari denegare voluisse. Quam sententiam, nimia argutia, his verbis subesse vir doctus finxit.

qua terra cingitur, claudat, ad mare fossam perducit, qua fontes et pabula amplectatur et extruit duo brachia densas pinnas tollentia. Omnes arbores, quibus valles erigat, caedit, neque luco sacrato, numquam temporis cursu violato, parcit. Quum nemo sacrilegam manum luco primus iniicere vellet, Caesar ipse securem rapit, dicens se iram deorum praestaturum. Quibus verbis erecti, non tamen omni sublato timore arbores sternunt. Massilienses etsi dolore perculsi, quum silvam deleri vident, tamen gaudio exsultant: quis enim putaret Deos impune laesos esse? Caesarem poenas daturum pro certo habent: neque recordantur Fortunam plerumque nocentes servare, quum tantum miseris di irasci possint.

Dux ad Hispanias versus, ut Afranium et Petreium, Pompeii legatos, bello persequeretur, a Decimo Bruto et Gaio Trebonio, quem tamen Lucanus nomine non indicat, bellum geri iusserat. Hi duas turres erigunt mobiles, unde telis omnis generis urbem infestent; quibus tuti, vineam ad moenia accedere curant, ut arietis suspensi ictu compagem muri solvant. Massilienses autem eam et flammis et lapidum mole destruunt, ita ut miles labore exhaustus, tentoria fessus repetat.

Adhuc Massilienses tantum, ut urbs servaretur, cupiverant: nec ultro bellum inferre parant; audaces iuvenes erumpunt, ut incendant oppugnatorum opera; quod quum bene successit, ignis celeriter pervagatur, quamquam viridi ligno luctatur. Quum victos spes terra vincendi fefellisset, placuit mari Fortunam tentare. Naves Romanis celeriter fabricandae erant et mox classis comitata navem Bruti ducis, in mare venit, Stoichades petens. Massilienses quoque quicquid iis navium est ornant; omnes viros imponunt, ita ut et ephebis et grandaevis senibus impleantur. Licet Massiliensium naves habiles essent,

et ad bellum lacessendum et ad continuo tentandam fugam, tamen iniquum certamen sustinere non poterant. Rates Romanae pugnantibus stabile solum praebebant, ad cominus pugnandum aptissimum; sociis navalibus igitur ut in terra viribus uti licebat.

Occasionem magna facinora narrandi oblatam Lucanus praetermittere non vult. Constantia narratur viri, qui sibi ambas manus resecare patitur, quibus abscissis pondere tantum corporis navem, in quam desiluit, submittit; virtus Thyrrheni cuiusdam posteritati traditur, qui oculis effossis in hostes caeca quidem, tamen non irrita tela misit. Multa et mirabilia virtutis exempla illo die, Lucano teste, edebantur.

Anceps tamen belli casus non erat. Maxima pars Massiliensium classis eo die mersa est; paucae naves praecipiti fuga ad navalia pervenerunt. Luctu atque dolore urbs repleta erat: in littore matres, cadaver Romanum amplexae, pro mariti corpore habebant; patresque rogis accensis de corpore trunco certabant, quod filii miserrimi esse putabant. Hic eventus erat primae navalis victoriae a Caesarianis reportatae.

Imago Iuliae Pompeio dormienti visa, a Lucano ficta est, sed ita ficta, ut huic descriptioni, qua ducis infelicis animi perturbationem indicare vult, laudem denegare nolimus, qua, qui revera poëta vocatur, dignus est. In Pompeii meditatione Lucanus heroï suo verba Stoïci Senecae subiicit, quum Pompeius, quasi sincerus Stoïcus dicit:

aut mors ipsa nihil,
Aut nihil est sensus animis a morte relictum (39)

iisdem verbis utitur, quibus Sen. Troad. vs. 395 chorus mulierum Troianarum:

post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

Ubi tradit Curionem in Siciliam missum esse, poëta non

narrat, ei non solum annonae causa hoc mandatum esse. Caesar refert [1]) amicum suum pro praetore cum duabus legionibus profectum esse, quum idem iussus esse videtur, post Siciliam receptam, protinus in Africam excercitum traiicere. Legatus, a Lucano non nominatus, in Sardiniam missus, Q. Valerius Orca est, ut praeter Appianum [2]) Scholia quoque Bernensia nos docent [3]). Ideo igitur missi sunt, ut hosti horrea eriperentur, quae qui possidebat, Romam quoque in potestate habebat.

Eundem ordinem, quem Lucanus sequitur, Florus servavit, ubi narrat Caesarem Siciliam et Sardiniam, quas anonnae pignora vocat, per legatos ordinandas curasse. Neque apud Florum legimus, Curionis adventu cognito Catonen, qui illam insulam obtineret, profugisse, neque apud Lucanum huius rei mentio facta est. Non legimus ante Curionem iam Asinium Pollionem missum esse, neque hunc profectum esse cum ipsis legionibus Domitianis, qui modo causam Caesaris secutae essent. Quod nos Plutarchus atque Appianus docent [4]). Caesar ipse hac in re ne nomen quidem Pollionis memorat, ubi eum negligere et silentio praeterire minime oportuit.

Lucanum vero in his rebus tradendis Livio usum esse magna probabilitate coniicere licet ex annotatione commentatoris in Schol. Bern. III 182, qui, de Curione eiusque missione scribens, haec dicit: „ut ait Livius, Curio M. Catonem expulit provincia." Licet Periocha Liviana nihil nobiscum

---

[1]) B. C. I. 30.

[2]) App. B. C. II. 41. τὸν μὲν Κουρίωνα ἀντὶ Κάτωνος ᾑρεῖτο ἡγεῖθαι Σικελίας, Κοΐντον δὲ Σαρδοῦς.

Confer. Caes. B. C. I. 30, qui praenomen et cognomen reticet.

[3]) Schol. Bern. III. 64.

[4]) Plut. Cat. Min. 53. App. B. C. II. 40.

communicat, e quo Livii auctoritatem Lucanum secutum esse colligamus, ex commentatoris annotatione Livium saltem de his rebus scripsisse apparet. Florus atque Orosius obiter tantum mentionem missionis Curioni mandatae faciunt.

Omnes historici, praeter Caesarem ipsum, qui ob iustam causam hanc rem silentio praetermittit, cum Lucano congruunt in iis narrandis, quae Romae facta sunt. Caesar Romam adspexerat e via, qua consules Kalendis Ianuariis Feriis Latinis Albam proficiscebantur ut sacra facerent; sed adventum eius tantum timorem movisse, quantum Lucanus motum esse dicit, testimoniis certis confirmatum non invenimus. Unus Cicero testis est in Epist. ad Att. X. 4, Caesarem ardere furore et scelere, neque quidquam remittere, sed in diem ingravescere. Curionem, deinceps narrat Cicero, sibi nuntiasse Caesarem, plane iracundia elatum, Metellum tribunum plebis occidere voluisse: propius nihil factum esse: (parum enim abfuisse quin Metellus a Caesare occideretur, quum aerarii fores complexus, hunc ingredi vetaret). Addit Cicero multos hortatores caedis esse, ipsum Caesarem autem non voluntate aut natura non esse crudelem, sed quod putaret popularem esse clementiam. Unde sequitur Lucanum toto coelo errare, ubi dicit „gaudet Caesar esse timori tam magno populis, et se non mallet amari." Cottae, Metellum compellentis desistere nimium audaci coepto, mentio non fit apud historiarum scriptores. Scholiasta hunc Cottam Metelli collegam esse indicat [1]). Fortasse L. Aurelius Cotta, praetor anni DCLXXXIV U. C. (70 a. C. n.) dicitur, is qui legem illam Aureliam iudiciariam rogavit [2]).

---

[1]) Schol. Bern. III. 143.

[2]) Ascon. in Pis. pg. 16 Orell.

Quod si ita esset, scholiastae, opinor, coniectura falsa esset. Cicero anno DCCX U. C. (54 a. C. n.) scribit, [1] eundem L. Aurelium Cottam, familiarem suum, fatali quadam desperatione, ut ait, minus in senatum venire. Eo igitur tempore minore studio in rebus publicis versabatur; fieri igitur potest, ut anno belli civilis exorti rebus publicis operam iam dederit.

Apud Florum leguntur, quae ipse Caesar in commentariis prudenter reticuit [2]), eum aerarium sanctius effringi iussisse, quum tardius aperirent tribuni: „censum et patrimonium populi Romani ante Caesar rapuit quam imperium" dicit Florus. Quantum pecuniae ex aerario protulerit, Orosius addit. Aerarium re vera clausum fuisse Cicero testis est: „nec eum (Caesarem) prolatio, nec senatus magistratumque discessus, nec aerarium clausum tardabit" [3]). Quin Caesar magnam pecuniam ibi invenerit, iure dubitari nequit, neque enim consules, neque Pompeius Cicerone teste ex aerario sumserant. Ciceronis iterum testimonio utamur: „Sumus flagitiose imparati, quum a militibus, tum a pecunia, quam quidem omnem, non modo privatam, quae in urbe est, sed etiam publicam, quae in aerario est, illi reliquimus" [4]). Omnes fere scriptores unanimo consensu tradunt Caesarem Metello tribuno obstanti morte minatum, aerarium effregisse [5]). Hanc igitur rem Lucanus ex vero tradidit.

---

[1]) Ad Fam. XII. 2. 3.
[2]) Scilicet morbo comitiali in tempore affectus! Pg. 54 in annot.
[3]) Ad Att. VII. 12.
[4]) Ad Att. VII. 15. 3.
[5]) Cass. Dio XLI. 17. App. B. C. II. 41. Plut. Caes. 35. — Dum Caesar se ararium effregisse reticeat, contra se pecuniam Ephesi in fano depositam bis servasse, iactatione quadam narrat. (B. C. III. 33. III. 105).

Copiose Caesar refert quae in senatu disseruerit de causis, quae ad bellum gerendum se impulissent. Horum exigua tantum apud Lucanum mentio fit: neque Dio his in rebus pluribus nobis auxilio venit: neque Plutarchus auctor uberior est, quamquam ex iis, quae scribit, colligere possumus, eum ex Livio, vel alio quodam scriptore Pompeiano petivisse. Quod etiam de Dione, pauca tantum referente, dici potest. In Periocha Liviana nihil de his legitur: neque apud Florum neque apud Orosium quidquam invenitur his exceptis: consulem se ipsum fecit.

Pompeium magnas copias comparavisse Caesar auctor est [1]). Dicit eum magnam ex Asia Cycladibusque insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Aegypto classem coëgisse; magnam inperatam Asiae et Syriae, regibusque omnibus et dynastis et tetrarchis et liberis Achaiae populis pecuniam exegisse. Deinde Caesar Pompeii legiones enumerat et quibus ex provinciis eos conscripsisset refert; ex Creta sagittarios, ex Ponto et Syria cohortes funditorum eum habere dicit, quum capite quinto eiusdem libri narrat, quibus e regionibus Pompeius frumentum comparasset. Et ex Caesare, et ex Appiano [2]) colligimus, Lucanum non nimium Pompeii copias verbis auxisse, neque se continuisse intra fines, quibus poëtae quoque circumscribuntur „quos ultra citraque nequit consistere" verum [3]). Veribus igitur 284—290 omnem fidem denegare non opus est, modo bene sciamus, poëtam verba non semper anxie perpendere:

---

[1]) B. C. III. 3 et 4.
[2]) App. B. C. II. 71.
[3]) Hor. Sat. I. 1. 106.

Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis
Cyrus, et effusis numerato milite telis
Descendit Perses, fraternique ultor amoris
Aequora cum tantis percussit classibus, unum
Tot reges habuere ducem. Coiere nec unquam
Tam variae cultu gentes, tam dissona vulgi
Ora.

Auctor, e quo Massiliae obsidionem optime novimus, i. e. Caesar in Commentariis de Bello Civili, nos docet [1]), Lucanum diligenter et curiose res gestas descripsisse. Massilienses legatos Caesari obviam miserant, qui pacem peterent, vel potius sibi obsidionem deprecarentur: multam enim tam Caesari quam Pompeio debebant, quorum alter agros Volcarum, Arecomicorum et Helviorum publice iis concesserat, alter bello victos Sallyos attribuerat vectigaliaque auxerat. Paribus igitur beneficiis parem voluntatem tribuere volebant, neque alterum contra alterum iuvare aut urbe aut portibus recipere in animo erat. Caesari hanc opinionem probare nequibant, quum optime sciret, Massilienses, simulantes se neutrius partis esse, revera Pompeii fautores futuros; qua re permotus tres legiones ad Massiliam perducit omniaque opera ad oppugnandam urbem parat, et duodecim navibus longis, intra triginta dierum spatium aedificatis, Brutum praeficit, quum C. Trebonium, cuius nomen apud Lucanum non reperimus, ad oppugnationem relinqueret. Ipse in Hispaniam proficiscitur.

Ipsius enarratio obsidionis a Lucano liberius atque negligentius tractatur. Tempora Massiliensium excursionis et pugnae navalis confunduntur, quum Lucanus pugnam navalem post

---

[1]) I. 35 seqq.

excursionem ponat; deinde poëta unius tantum cladis mari acceptae mentionem facit, licet eos Brutus saepius fugaverit. Excursio ipsa, incendium quo Massilienses opera Caesaris corrumpebant, naves aedificatae, pugna navalis, omnia haec cum fide historica descripta sunt. Non autem tradit Caesarem rediisse ex Hispania Afranio Petreioque subactis, quum deditioni interesset. Profecto Schaubach [1]) nimium audacter suspicatur: „Vielleicht verschwieg der Dichter auch hier absichtlich diese Anwesenheid Caesars, um nicht in die Lage kommen zu müssen, die Milde und Groszmuth des Siegers zu rühmen, der den Drängen der beute- und mordlustigen Soldaten nicht nachgab, sondern die Stadt verschonte". — Quod quidem verum est, quod ad vitam civium adtinet. Dione enim auctore [2]) *ἐκείνων τότε μὲν τά τε ὅπλα καὶ τὰς ναῦς τά τε χρήματα ἀφείλετο, ὕστερον δὲ καὶ τὰ λοιπὰ πάντα πλὴν τοῦ τῆς ἐλευθερίας ὀνόματος.*

E quibus sequitur, Lucanum non omnino studio abreptum finxisse ducis ad milites adhortationem, versu 360° conclusam, qua eos spe praedae excitaret ad urbem delendam et poenas a civibus sumendas. Numquam enim Caesar militibus quidquam polliceret, quum promissis stare in animo non esset. De militari enim auctoritate periclitari hanc ob causam noluisset.

Orosius haec de Massilia obsessa tradidit. „Ad Massiliam oppugnandam cum receptus non esset, Trebonium cum tribus legionibus reliquit". Florus tradit, eum Bruto bellum mandavisse, qui victos terra marique per domuit. Utramque opinionem Lucanus iunxit, legerat enim apud Livium: „Caesar reliquit in obsidione urbis legatos eius C. Trebonium et Decimum Brutum" (Perioch. CX.)

---

[1]) Schaubach, Lucans Pharsalia und ihr Verhältn. zur Gesch. pg. 11.
[2]) Dio. B. C. XLI. 25.

De Massilia obsessa Dio non valde copiosus est. Nec Plutarchus, neque Appianus eius obsidionis mentionem facit. Statim autem, si Dionem diligentius inspicias, apparebit (ut iam supra monuimus), Dionem Livium ante oculos habuisse, qui, ut ex Periocha CX videmus, eundem ordinem servavit, eadem refens. Sed quum Dionis narratio ex omni parte cum Caesaris congruat, non nimis audax coniectura videtur, Dionem et Caesaris Commentarios ante oculos habuisse Lucanum quoque hoc fecisse verisimile est, licet ex manifesto consensu, qui inter Livianam Periocham et Lucanum intercedit, suspicari liceat ei Livii quoque opus in manibus fuisse.

Quem ad modum iam supra vidimus, Lucanus expugnationem Massiliae non commemorat. Quod si fecisset, apud eum fortasse legeremus, quod Caesarem narrare neglexisse Dionem autem nobis tradidisse vidimus, cives Massiliae excepta libertate, omnibus rebus privatos esse. Orosius enim, quod apud Livium procul dubio legerat, cum Dione consentiens, confirmat.

Finis libri tertii, ut exordium, eximio poëta dignissimus est. Pulcherrimis verbis pugna navalis depingitur: magna facinora memorantur; tristitia et dolor Massiliensium acerbissimis, licet paucis verbis, memoriae produntur. Hanc laudem poëtae detractare nolumus. „Palmam enim qui meruit, ferat"; cuius proverbii veritatem iam Gellius nos admonuit [1]), quem nos frustra docuisse non patiemur.

---

[1]) Noct. Att. III. 6.

Liber quartus.

Liber quartus in Hispaniam nos transfert, ubi Caesar obsidione Massiliae Trebonio relicta legatis Afranio et Petreio bellum inferebat non caede multa cruentum, sed, ut Lucanus loquitur „maxima fati ducibus momenta daturum".

Afranius et Petreius non tantum legati praeerant copiis Pompeianis, sed potius Romanis Iberisque coniunctis, nam etiam Celtiberi Vettonesque sub eorum imperio erant.

Res ad Ilerdam geritur: Lucanus nobis pugnae locum depingit, ubi utrumque exercitum in modico colle tendentem, placidae Sicoris undae dirimunt. Sub moenibus Ilerdae Pompeiani tendunt, unde regio campos patentes explicat.

Caesar initio fortuna secunda usus non est, quoniam hostis eum depulit, aggressum castra Pompeiana. Neque coelum ei prosperum erat, bruma pigro gelu in nube pluvias tenebat, nix montes tegebat, pruina campos premebat. Sol vernus tamen rediit; calore effuso nix in montibus liquefacta est; idemque coelum reddebat aequor diffusum, spissatae fluebant imbres. Tum, quae ex solitis fontibus profluat unda, vias non habet; alveus profundissimus aquas tumidas continere non potest: haud mirum, nam Pyrenaei quoque, quas numquam sol solvere valuit, aquas nive liquefacta mittebant. Omnia superfunduntur: iamiam Caesaris arma naufraga natant. Sed iam maius frigore et proluvie malum imminebat: fames, illa semper prima magnorum malorum comes, aderat: nullo enim modo fieri potuit, ut milites frumentarentur et pabularentur.

Fortuna tamen contenta parvo Caesaris pavore rediit, imbres cessarunt, Sicoris intra ripas recessit. Petreius, ut vidit Fortunam Caesari servire deosque ei praesentes adesse, Ilerdam deserit, viribusque suis diffisus ad Celtiberos contendit. Caesar colles

nudatos castraque hostium deserta videns, arma capi flumenque tranatari iubet.

Hostes in ripa altera rupibus tecti, copias Caesaris expectaverunt: ibi tellus colles continuabat, tutas latebras ad hostes infestandos praebens: quibus faucibus hoste potito, Caesar sciebat, bellum in feras gentes, ut in Cantabros tralatum iri, hostesque igitur ad montes tendentes praeveniendos esse intellexit. Sic Romani Romanis occurrunt: fratres vident fratres, patres natos agnoscunt. „Naturam expellas furca, tamen usque recurrit" [1]); amor mutuus revertitur, miles vallum transcendere audet et in amplexus palmas tendere. Pax erat et miles permixtus utrisque castris huc atque illuc erravit; vinum hauriens genio indulsit oblitus inimicitiarum, memor autem communis patriae et originis. Quae quum Petreius cognovisset, famulos impetum facere in festum celebrantes iussit, qua re omnium mentes concussit amoremque scelerum sanguine viso reduxit. Ut ferae a feris, frates a fratribus lacerantur; amici amicos, patres filios trucidant. Afranius et Petreius caede perpetrata agmina castris credere ausi non sunt: Ilerdam versus in fugam se dederunt. Sed equites omnes campos iis obvii abstulerunt; Caesar fossa eos includit, sicca tamen, ne aqua sitis expleri posset. Ad famem compescendam equos inclusi mactant: impetus in obsessores factus successu caret, quum iam fame et siti debilibus homiuibus ad depugnandum vires non suppetunt. Hostis fame malignior, sitim dico, eos excruciat; omnibus modis aquam quaerunt; gladiis terram effodiunt, quum nihil quo sitim expleant inveniant, bibunt quidquid fluidi reperiunt; sanguinem ipsum, ab ubere

---

[1]) Horat. Epist. I. 10. 24.

exhausto pecudum, sorbent, morientes aquas recipiunt, quas victuri negarent. Miserrimum erat, quod Sicori et Ibero propinquis cruciatus augebatur, sitientem exercitum inter duos amnes, quos spectabat, eo vehementius siti excruciari opus erat. Neque Tantalum ipsum in Orco dii atrocius vexabant, Tantalum,

χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
ἑσταότ' ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ
στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ'οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι·
ὁσσάκι γὰρ κύψει ὁ γέρων πιέειν μενεαίνων,
τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχέν. κ. τ. λ. [1])

Tandem Afranium infelicium militum miseruit; ipse dux supplex ad Caesarem se contulit veniamque precatus est. Ut vita sibi condonetur obsecrat: nam mortem sibi conscivisset, si fata sub hoste degeneri stravissent. Non turpe est corporis salutem rogare; nam Caesarem unum dignum habet, qui sibi vitam condonet. Hoc unum petit, ne Caesar milites cogat victos secum vincere. Quibus precibus motus victor concedit militesque sitim explere patitur, quibus vita bibendo redit. In suas urbes antea miseri, nunc curarum liberi revertuntur, armis victori relictis.

Interim Antonius, Caesaris legatus in ora Dalmatica a Pompeianis Salonis obsidebatur. Omnia ei deficiunt: pabulum equis deest, frumentum hominibus. Ut Basilum viderunt, quem Dolabella ad eos obsidione liberandos misit, novas vias quibus effugerent quaesiverunt; coniunctis ratibus noctu evadere conantur, quarum duae effugiunt, tertia autem haesit, qua qui vehebantur, intercepti a Pompeianis, semetipsos in vicem inter-

---

[1]) Hom. Odyss. XI. 582.

ficiunt. Vulteius, tribunus cohortis, quae teste Floro [1]) mille hominum erat, huic rati praeerat; commilitones nobilibus verbis amorem Caesaris virtutemque gloria dignam testantibus, ut sibi mortem consciscerent adhortatus est.

Non segnius bellum in arvis Libycis exarsit. Curio enim Sicilia relicta vela dederat ad Africam et inter antiquam Carthaginem et urbem Clypeam (Ἀσπίδα) appulit. Castra posuit ad flumen Bagradam, ubi se ab incolis historiam Antaei regis docendum curat. Ipsum locum, ubi Scipio tentoria habuerat, ostendunt: vestigia saltem veteris valli cerni potuerunt. Curio omine Scipionis nominati accepto ad bellum gerendum se parat. Vari sub iure omnis Africa erat; is enim Auximo relicto [2]) in Africam traiecit, ubi duabus tantum legionibus praeerat. Cum eo rex Iuba societatem inierat, qui non solum studiis civilibus bellum movebat, sed etiam privata ira concitus in Curionem odium conceperat. Nam eum Curio lege tribunicia regno avorum depellere conatus est: memor illius doloris, hoc bellum libenter contra inimicum suscipit. Curio tamen rem bene gessit. Varum campo pepulit, profugas milites, donec castra vetuerunt, cecidit. Quibus auditis Iuba clam agmina sua rapuit. Saburam, quasi ei bellum commissum esset, praemisit, qui levibus proeliis hostes lacesseret, dum ipse rex viros in valle retinuit. Ut est in vetere proverbio „fortes Fortuna iuvat" [3]), audacibus Iubae fraudibus eventus datur: Curio in insidias incidit. Bellum civile auctorem suum trahebat. Subito equites

---

[1]) II. 33.
[2]) Conf. II. 462.
[3]) Cic. Tusc. Disp. II. 4. 11. Conf. Tibull. I. 2. 16. Audendumst, fortes adiuvat ipsa Venus. — Liv. VIII. 29. eventus docet, fortes fortunam iuvare. Vergil. Aen. X. 284. Audentes fortuna iuvat.

Numidae Romanos acriter instantes cingunt. Undique hastis minacibus saepti obruuntur. Pressis iam locus non est armis utendi: membra stipata franguntur:

compressum turba stetit omne cadaver (787)

Miserandum est talem iuvenem tamquam dirum piaculum Hannibalis Poenorumque cecidisse. Lucanus enim de Curione sententiam fert, pietatis plenam. Ei laudem bene meritae vitae non negat: haud quemquam civem tali indole praeditum Romam tulisse dicit, aut cui leges plus deberent, dummodo recta secutus esset. Ambitus autem, luxus, facultas opum metuenda effecere, ut corruptionis semina, auro Caesaris nutrita, ad maturitatem pervenirent. Quibus incitatus ille perpetrarea usus est, quod neque Sulla potens, neque ferox Marius, neque Cinna cruentus, neque series Caesareae domus fecit: hi omnes civitatem emerunt, Curionem autem urbem vendidisse non puduit.

Bellum, quod hoc capite describitur, non multa caede stetisse, Florus affirmat [1]). „Anceps variuumque, sed incruentum in Hispania bellum, cum legatis Pompeii Afranio et Petreio." Narratio, quam apud Caesarem invenimus, rerum ad Ilerdam gestarum, verbis amplioribus descripta, eadem quidem tradit. Cum Dione omnino congruit paucis locis exceptis, quorum in sequentibus exemplum dabimus. Quoniam Dionem in hoc bello describendo Livium maxima religione secutum esse, Wilmans demonstravit, quumque Lucanum cum Caesare congruere videamus, coniicere licet, Lucanum et Caesaris et Livii auctoritatem secutum esse. Cur enim Livius hanc rem

---

[1]) IV. 2.

minore cura atque diligentia tractavisset, quam facere solet? Ipse Dio Cassius, qui hac in re Livium secutus est, nobis testis est, apud Livium olim bellum Hispaniense satis copiose atque diligenter descriptum esse.

Ubi Dio a Caesare discrepat, semper aliquid, quod Caesaris famae nocet, tradit. Caesar narrat [1]), Plancum impari numero congressum magnos impetus trium Afranii et Petreii legionum equitatusque sustinuisse. Dio contra refert [2]), multos Caesarianos hoc proelio cecidisse.

Plura eiusdem generis documento sunt [3]), Dionem hausisse ex auctore, qui Caesari parcere noluerit; eum igitur Livium aut saltem Pompeianum quemdam secutum esse verisimile est.

Tandem Caesarem tumulum paullo editiorem occupasse, qui inter oppidum Ilerdam esset et proximum collem, ubi castra Afranius et Petreius haberent, et Caesar et Lucanos et Dio Cassius maximo consensu auctores sunt. Sicorin nivibus liquefactis agros inundasse, Caesaremque fossis ductis efficisse, ne iterum eodem periculo premeretur, eadem ratione apud eosdem scriptores legimus. Hoc unum in Lucano desideramus, admirationem mirificae artis bellicae, iure Caesari debitae, quae, quum legimus, quo modo callidis strategematis atque insigni scientia militari usus, Afranium ad peditionem coëgerit, sua sponte movetur. Non autem hac in re studio occaecatus, poëtam veniam Petreio impetrare conatur, qui, videns milites inimicitiarum oblitos caedisque immemores et vino laetitiaeque indulgentes servos ad bellum excitandum armat, eoque modo

1) B. C. I. 40.
2) B. C. XLI. 20.
3) Conf. Caes. 43. 44. 46.

efficit ut fratres a fratribus, parentes a filiis trucidentur. A tali facinore poëta humanitate motus abhorret.

Tandem duces instanti victori cessisse constat. Quae Appianus de deditione tradit ex Caesare petita esse non videntur [1]); paucissima tantum de hoc bello Appianus narrat, quae nusquam locorum apud Caesarem inveniuntur.

Caesar eos incolumes dimisit. Appianus Caesarem talia locutum esse scribit [2]): *εἰ δή τις ἔστι μοι παρ' ὑμῶν ὑπὲρ τούτων* (ob libertatem et vitam condonatas) *χάρις, Φράζετε αὐτὰ τοῖς Πομπηίου στρατιώταις ἅπασιν*, quae testantur, Caesaris benevolentiam et conscientiam pulcherrimi facti, iudicem severum non metuentis.

Plutarchus brevissime tantum bellum in Hispania gestum tractat [3]). Inveniuntur tamen apud eum nonnulla, quae nusquam alias, nonnulla etiam, quae apud unum Orosium, qui cum Floro ac Lucano consentit, leguntur. Num igitur hac in re Plutarchus Livio fonte usus sit, affimare non ausimus, licet hoc ut pro vero accipiamus, facile inducamur, quandoquidem Plutarchus in tradendis rebus Romae a Caesare gestis ipse Livium autorem nominat, ubi insomnium Calpurniae, aliter quam vulgo fieri solet, tradit [4]).

In Illyria quoque bellum civile exarserat, ubi autem Caesaris arma non eadem fortuna, qua in Hispania, usa sunt, quod Florus his verbis exprimit [5]) „aliquid adversus absentem ducem

1) B. C. II. 42. *ἐπέθεσαν ταῖς κεφαλαῖς τὰς ἀσπίδας, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον ἑαυτοὺς παραδιδόντων.*
2) B. C. II. 43. i. f.
3) Caes. 56.
4) Conf. Iul. Obs. 67. Apud Plut. Caes. 87. etiam aliam relationem legimus, quae et a Liviana et ab ea quam Plutarchus primam dat, discrepat.
5) IV. 2. 30.

ausa Fortuna est; quasi de industria prospera eius adversis radiarentur". Antonium in Illyrico in adversariorum potestatem devenisse. Suetonius [1]) et Appianus [2]) paucis tantum attingunt. Florus plura dat. Fallitur, quum narrat navem, quae deprehensa est, unam ex Basili navibus fuisse. Dolabella enim et Antonius a Caesare missi sunt, qui mare Hadriaticum a Pompeio defenderent. Marcus Octavius et Scribonius Libo, legati Pompeiani Antonium classe incluserant, cui a continente Illryico Lucium Minucium Basilum Dolabella auxilio misit. Quae omnia Lucanus ordine narravit, quum quidem inceptum successu caruisse Antoniumque cladem accepisse, non tradiderit. Omnes vires enim poëta in depingendo Vulteii facto intendit; cuius virtuti poëta monumentum aere perennius exegit, cuiusque nomen Florus recordatur, sed, ut iam diximus, eum praefuisse uni ex navibus Basili tradens. Memorandum tamen posteris exitum dedisse ab eo dicitur. Vix mille iuvenum Opiterginorum manus circumfusi undique excercitus per totum diem tela sustinuit; et quum exitum [3]) virtus non haberet, tamen, ne in deditionem veniret, hortante Vulteio tribuno, mutuis ictibus in se concurrit.

Apud Livium (Perioch. CX) eundem ordinem servatum, quem apud Lucanum, videmus. Is enim post Massiliam captam bellumque in Hispania confectum, C. Antonii Caesaris legati mentionem facit; tradit eum male adversus Pompeianos in Illyrico rebus gestis captum esse. Narrantur eadem, quae Lucanus refert. Opiterginos socios navales, ab hostilibus navibus inclusos, potius quam in potestatem hostibus pervenirent, inter

---

1) Caes. 36.
2) B. C. II. 47.
3) An „exemplum" fortasse pro „exitum" legendum?

se concurrentes, semetipsos interfecisse. Basilus cuius nomen apud Livium non reperimus, ab Orosio quidem et Floro nominatur. Idem Florus narrat quod Lucanus, duas naves effugisse, quum unam quae Opiterginos ferebat, quaeque in vadis haesit, silentio non praetermittit. Animadvertendum autem est, Lucanum hac in re fontem Floro fortasse fuisse. Quae enim Florus scripsit: „missae quoque a Basilo in auxilium eius rates, quales inopia navium fecerant, nova Pompeianorum arte Cilicum actis sub mari funibus, captae quasi per indaginem", ficta esse videntur ex Lucani versibus 499 seqq.

At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
Summa freti, medio suspendit vincula ponto,
Et laxas fluitare sinit religatque catenas
Rupis ad Illyricae scopulis. Nec prima, neque ille
Quae sequitur, tardata ratis: sed tertia moles
Haesit, et ad cautes adducto fune secuta est.

Orosius pluribus de hac re disserit, nonnullaque ducum nomina refert, quae apud alios non inveniuntur, quorum Appianus [1]) et Florus Hortensium et Dolabellam nominant.

Lucanum non tradidisse Antonium cladem accepisse, iam supra monuimus. Vidimus eum Vulteii factum memorabile vividis coloribus depinxisse atque hoc ardore poëtico fortasse adductum eum ab historia enarranda avocatum esse suspicamur. Fortasse poëtae in animo erat, poëma inchoatum quidem, sed non perfectum, confecta hac quoque parte ad finem perducere, quod quominus exsequeretur morte praematura prohibitus est.

Dio Cassius, licet pauca tantum de rebus in Illyrico gestis

---

1) II. 41.

referat, cum Livio et Lucano omnino consentit, neque dubitari opus est, eum Livii auctoritate hic quoque usum esse. Hoc igitur nobis persuasum est, et Dionem et Lucanum ex eodem fonte, i. e. e Livio, hausisse.

Miserandum est locupletissimum, licet non semper fide dignissimum belli civilis auctorem nullo verbo harum ab Antonio rerum gestarum mentionem fecisse. Ex ipsis autem Commentariis comprobari potest, haec omnia a Caesare non omissa esse, sed per iniuriam temporis evanuisse. Caesar enim saepius in Commentariis has res gestas obiter significat, ut quae a se iam supra descriptae sint. Deinde a Scholiasta in Luc. IV. 102 eadem referuntur, quae apud historicos de Basilo et Antonio narrantur, auctorem autem non Caesarem sed Iulium Celsum nominat. Medii aevi tempore homines in eo errore versabantur, ut omnes Commentarii, non a Caesare, sed a Iulio Celso scripti essent arbitrarentur. Verisimile igitur est, eum qui in Lucanum Scholia conscripserit, ubi Iulii Celsi testimonium afferat, Caesarem ante oculos habuisse. Quod hac quoque in re factum esse facile credimus.

Bellum in Africa gestum in ultima libri parte tractatur. Curionem a Caesare in Siciliam, deinde in Africam missum esse iam vidimus. Eum in antiquae Carthaginis agro consedisse ipse Caesar narrat [1]), quum dicit Curionem ad eum locum adpulsum esse, qui Anquilaria appellatur. Is locus dicitur a Lucano vicinus fuisse Antaei sepulchro, antiqui Libyae regis, quod tamen Gabinius apud Strabonem [2]) prope Tingin posuit: quum Lucano teste prope Uticam situm esset. Farnabius, magis opinor cavillatus, quam vere iudicans, poëtam putat huc sedem Antaei transposuisse, ut hanc illius regis et Herculis fabulam venderet.

[1]) Caes. B. C. II. 23.
[2]) Strabo Geogr. XVII. 3.

Attius Varus tunc Africam obtinebat, quam ab Aelio Tuberone defendere debebat. Iam Cicero in Ligariana Varum sibi imperium et fasces adsumpsisse dicit [1]). Varus in Africam non „missus" erat, ut Lucanus perhibet, sed eo fugerat. Imperium pro Q. Ligario, qui negarat, susceperat. Tum Q. Ligarius a Varo iussus est Tuberonem ab Africa arcere, quae res causa fortasse fuit, cur filius Tuberonis, post Caesaris victoriam ad Thapsum eum perduellionis accusaret.

Curionem non solum hostem Varum, sed etiam inimicum Iubam, regem Numidarum, in Africa reperisse Lucanus recte indicat. Anno enim DCCIII U. C. (50. a. C. n.) Curio praeter rogationes de intercalando, viariam, alimentariam, legem promulgavit, qua regnum Iubae publicaretur [2]) Is, implacabili Curionis odio adductus, perniciem adversario moliebatur; memor illius doloris, hoc bellum fructum regni retenti esse putabat. Hunc adversarium Curio metuebat, idque iure, ut dein apparuit. Iuba Caesaris amicum in insidias inducit; quae deinde facta sunt verissime narravit. Curio fortiter pugnans cadit in strage suorum. Poëta eum laude ob fortitudinem debita non privat, licet Caesaris amicus atque propugnator eius partium fuerit. Hanc morum Curionis descriptionem inter crebros pul-

[1]) Lig. I. 3. „arripuit imperium". VII. 22. „Varus imperium se habere dicebat, fasces certe habebat."
[2]) Caes. B. C. II. 25.
Incertum est num et alias rogationes Curis promulgaverit, ut Drumann suspicatur, quia verba Coelii (Cic. ad fam. VIII. 11.) „Curio ceteras suas abiecit actiones", etiam in tres promulgationes, quas nominavimus, cadere videntur.

cherrimos versus poëmatis, et ob veritatem historicam et ob pulchritudinem, poëta insigni dignam puto. His versibus specimen denuo datur, eum, qui vere poëta vocetur, argumentum, ex historia petitum, poëtice tractare posse, licet nulla re fidei historicae noceat.

Curionem et Livius et Florus et Orosius eodem modo quo Lucanus recordantur. Primum Livium audiamus: „C. Curio, legatus Caesaris in Africa, cum prospere adversus Varum, Pompeianarum partium ducem, pugnasset a Iuba rege Mauritaniae cum exercitu caesus est". Florus: „Curio ad recipiendam provinciam Africam missus, pulso fugatoque Varo iam superbus, subitum Iubae regis adventum equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga [1]), sed pudor suasit, ut amissa sua temeritate exercitum morte sequeretur". Orosius: „Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu transgressus est, quem Iuba rex continuo exceptum cum omnibus copiis trucidavit". Quibus inter se comparatis, consensus negari non potest.

Non tamen iusta causa est, cur pro certo perhibeamus, Lucanum Livium ante oculos habuisse, nisi quod inter Lucanum et Dionem Cassium, de hac re scribentem, pro maxima parte consensus intercederet, unde utrumque Livii auctoritatem secutum esse suspicari licet. Paene ipsis verbis interdum poëta cum historiarum scriptore congruit, quem Livio usum esse de his rebus disserentem, iterum monere opus esse non arbitramur. Nullum tamen Dio Cassius iudicium de Curione fecit, quemadmodum Lucanus, qui mores laudans viri egregii, se et inimici virtutes ostendit aestimare posse. Laus vero Curioni

[1]) Euseb.: „Curio in Africa, pudore amissi exercitus, maluit mori, quam evadere."

tributa, talis habenda est, qualis non ab amico daretur, quia eum non felicem praedicat pro patria morientem, sed potius misericordia errorum movetur. Proinde eo facilius coniicimus, Lucanum ex scriptore sumsisse, qui partibus Caesaris non faveret, neque igitur eum ex Caesare ipso petiisse, quocum et Dio quidem et Lucanus consentiunt, nisi verisimile esset, poëtam hunc libri finem de suo addidisse, neque hanc quoque laudem, infelici viro tributam, ex auctore quodam hausisse. Nostram autem opinionem, non Caesarem, sed Livium ei fontem fuisse, et hoc tuetur, Dionem et Lucanum paucissimis tantum de Attio Varo egisse; quem Caesar copiose de eo referat, verisimile est eos Caesarem secutos pluribus descripturos fuisse res contra Varum gestas. Etiam Florum et Orosium, cum Livii Periocha CX consentientes, hanc rem obiter attigisse videmus.

Appianus, cuius descriptio vivida atque animata nos in suspicionem inducit, eum Asinii Pollionis opus inspexisse, vel potius sedulo eodem usum esse, nimium a Dione atque Lucano discrepat, quam ut putemus eum ex Livio sumsisse. Appianum saepius etiam Asinium Pollionem secutum esse ea quoque nos docent, quae de Caesare Rubiconem transeunte refert. Fortasse Asinius Pollio in historiis suis inprimis de iis rebus egerat, quibus ipse praesens affuerat, eaque fortasse causa habenda est, cur Appianus bellum cum Afranio et Petreio leviter tantum attingat, deque Varone devicto omnino taceat, a quibus rebus gestis Asinius Pollio afuisset, quasque ideo obiter tantum descripsisset.

Liber quintus.

Nulla praeterea mentione facta, neque Massiliae captae, neque belli Hispaniensis finiti, liber quintus nos in Epirum traducit, qua in regione Pompeius cum senatoribus trepidatione aliquantulum remissa (Mare Superum enim ab instanti victore eos diremit), se ex timore collegerunt. In castra Pompeii nos inducit, licet poëta sedem peregrinam ac sordidam, qua Romani proceres accepti sint, nomine castrorum vix dignam habeat.

Consul L. Cornelius Lentulus Crus patres in consilium convocatos adhortatus est, ut Pompeium ducem cunctis praeesse iubeant. „Nostrum enim — inquit — exhausto anno ius clauditur: vestrum, patres, est, ius ducis eligendi. Non Romae tantum senatus estis; ubicunque decernitis, illic ius habetis, nam ordo senatorius, solo mutato nunquam iura sua perdidit." Laeto clamore senatores Pompeii nomen exceperunt patriaeque, et suum fatum Magno commiserunt.

Tunc honores in reges et populos decreverunt: Rhodus donis exornata est; Phocis, propter coloniam Massiliam, quae Caesari restiterat, laudatur; Libya auctore senatu iubetur Iubae parare; Ptolemaeo diadema permissum est, quo puer ius vitae ac necis simul accepit, quo iure, postea abusus, sorori regnum et nefas Caesari eripuit, quoniam hoc ense sibi commisso Pompeium occidere ausus est. Quasi iustus senatus, patres decernunt quae sibi decernenda esse videntur, ne quando senatum rei publicae atque officio defuisse iure iis exprobretur. Non omnibus victoria in Illyrico reportata animum reddiderat. Appius Claudius proconsul in provincia Achaia „metuit in ancipites belli eventus descendere": oraculum Delphicum, per multos annos obductum, consulere ei in animo est, ut a diis edoctus finem rerum cognoscat. Lucanus regione descripta dolorem testatus est, quod oraculum sileret postquam reges vetuerint superos loqui, quibus verbis, Scholiasta teste, Neronem tangit, cui petenti oraculum numen responderat: „ego parricidis non respondeo". Hoc dicto confusus oraculum consuli vetuit, ne quis imperatorum inquireret fatum, et iis insidiaretur, aut ipsius Neronis ne quis inquireret fatum [1]).

Pythia vero Appio dissuadet oraculum consulere: satis ei sit, arcana fati per carmina Sibyllae cognoscere. Tandem Pythia Appio instanti cedit, quamquam pavida adyti penetrale intrans. Mente concussa, spumea rabiei per vesana ora effluente tandem voces virgo profert.

> Effugis ingentes, tanti discriminis expers
> Bellorum, o Romane, minas; solusque quietem
> Euboïci vasta lateris convalle tenebis.

E quibus verbis ancipitibus, ut iusto oraculo scilicet par est, Appius coniicit, se τῆς κοίλης Εὐβοίας imperatorem fore. Nihilominus fallitur: ante pugnam Pharsalicam morbo consumptus, praedictum a deo locum sepultura in insula Euboea possedit, quam igitur etsi mortuus re vera „tenebat".

Caesarem remeantem domitis Hispaniis, victrices aquilas in alium orbem ducentem, poëta historia Appii enarrata describit. Militibus tamen Caesarem diffisum esse Lucanus narrat, neque in ullo discrimine magis expertum esse, se non e stabili culmine omnia despicere; se autem „per extentum funem ire", ut Horatius dicit [2]).

Milites enim moleste ferentes bellum civile trahi, queruntur se numquam finem incommodorum reperturos esse. Quidnam

---

[1]) Schol. Bern pg. 159.
[2]) Serm. II. 1. 210.

Caesari satis erit, si Roma ei parum? Acerbius etiam ferunt sibi aevum bellis consumendum esse, quum virtus ingrato meritorum iudice perit:

> Nam quicquid gerunt, fortuna vocatur.
> Nos fatum sciat esse suum. Licet omne deorum
> Obsequium speres: irato milite, Caesar,
> Pax erit. (293)

Quem ducem eiusmodi militum defectio terrere non potuit? Non autem Caesarem, qui tumultu non iam sedato in medios milites se confert. Stat intrepidus vultu et meruit timeri, ipse vero non timens verbis audacibus milites vehementer increpat: iubet eos fugere, quoniam Caesar alios milites inveniet: „tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt." An milites momenta ulla sibi dedisse putent, comtemptus plenus rogat, quibus cumulum comtemptionis addit, quum eos nomine usitato commilitonum non alloquatur, „Quirites" vero vocet. His ipsis verbis milites, honore militari violato, se ducis existimationem perdidisse sentiunt: veniam precantur, qua impetrata in gratiam a Caesare recipiuntur auctoribus defectionis punitis.

Caesar milites Brundisium petere iubet intra decem dierum spatium cunctasque naves ad oram Dalmatiae oppositam convenire. Ipse autem nullo exercitu comitante Romam contendit, „iam doctam togae servire". Dictator fit populo precanti morem gerens. Suffragia vero ritu non habentur, de coelo non servatur: nam tonat augure surdo et laetae aves iurantur bubone sinistro.

Quibus peractis, potestate Romae confirmata Brundisium versus milites secutus est. Invenit undas ventis brumalibus clausas et nautos hiberno tempore pavidos. Tempora belli tamen exisse in segnes moras ei turpe visum, quare vela dare decernit, quamquam aequor tutissimum cursum praebere non videbatur. Rates igitur solvuntur; terra vero relicta aurae sedantur, aequora lenta iacent coelo languente. Pulcherrimis versibus egregio poëta dignis Lucanus tranquillitatem et maris quietem describit. Sub diem venti oriebantur, quibus rates raptae mox ad Graeciam appulsae sunt.

Sed Caesari satis copiarum non erat, quibus Pompeio bellum inferret. Marcus Antonius in Italia copiis iam deficientibus praerat; frustra eum Caesar desideravit, cuius adventus in diem dilatus amplius exspectari non iam potuit. Caesar ipse impatiens morae per caecas tenebras se mari credere ausus est, sperans fore ut fluctus, classi etiam verendos, exigua carina superaret. E tentoriis igitur egressus, clam commilitonibus carina quaesita nautam e somno excitat, qui se in Italiam vehat. Invitus is Caesari morem gerit: vela ventis permittit, licet tempestas oriatur. Nam Caesar, confisus sibi omnia pericula cessura, nautam minacem pontem spernere iubet; puppis ipse ferens Caesarem onus suum a fluctuum vi defendet.

Spes tamen Caesarem fefellit. Immemor Graecorum proverbii: *οἱ τοῦ λύχνου χρείαν ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσι*, navem imparem undis adhibuerat; vis fluctuum tempestate aucta carinam repulit atque littori impegit:

> Pariter tot regna, tot urbes,
> Fortunamque suam, tacta tellure recepit.

Non tam remeans quam castra relinquens, comites Caesar fefellit. Duci audaciam obiiciunt atque temeritatem reprehendunt. Quonam eum virtus temeraria pepulerit quaerunt. Quid tantopere numina tendanda sunt? Num dii eum servassent, si non rectorem orbis, dominum rerum, sed infelicem naufragum eum esse voluissent?

Audaci incepto opus non fuerat. Antonius enim mox cum classe diu exspectata aderat. Frustra Lissum adpellere conatum Nymphaeum exceperat.

Pompeius timore perculsus armis Caesaris undique collatis, uxorem Corneliam tutam praestare decrevit eamque procul a belli strepitu in Lesbo occulere. Sic Pompeium amor Corneliae dubium et ad proelium trepidum reddidit. Vix ab uxore seiungi se passus est „et nulla fuit tam moesta dies vitam per omnem". Amor tamen vetuit ne belli malis opprimeretur. Iurat Cornelia, se marito fidelem mansuram, ne funus quidem amores mutuos rupturum. Hoc extremum precatur, ne littora Lesbi petat: nam apud uxorem Pompeium maritum prius omnium quaerent.

Num mirum, Pompeio dormienti imaginem uxoris visam, somnum turbasse? Pulcherrimis versibus Lucanus Pompeii desiderium depinxit, elegantia et nitore, Ovidio non indignis. Halcyonis desiderium a Sulmonensi poëta depictum [1]) compone cum Pompeii querelis a Lucano descriptis: vix diiudicare possis, uter pulchrius atque elegantius amantium sensus et dolores aperuerit.

Pompeius cum senatoribus in Epiro tendebat. Ubi castra habuerit Lucanus non dicit, neque descriptionem locorum dat. Non omnes autem, qui ducem comitati sunt, ei usui fuere. Multi quidem et fortes et periti milites Hispaniensi bello confecto in Epirum conveniebant, ut armis Pompeii sese addicerent: sed magnus quoque numerus optimatum Pompeium secuti Lentulum et Lucium Domitium arrogantia atque insolentia sua

---

[1]) Metam. XI 470—474.

magnopere prohibebant, quominus disciplinam militarem exercerent militesque in officio continerent, quos, exempla imtemperantiae videntes, modum excedere non puduit. Pompeius fortiter agere nequibat: haesitatione ipse a via aberrabat; fortibus viris invidens, ut Catoni, necessarias vires ab ope ferenda arcebat.

Lucanus nos in castra introducit, quum Lentulus consul senatoribus convocatis persuadet, ut Pompeium ducem cunctarum copiarum creent. Mensis Ianuarius mox aderit; consulibus igitur magistratu se abdicandum erat: alius consulatum auspicari, vel potius summum imperium suscipere debebat.

Hanc Lentuli orationem aliunde non novimus. Eadem vero principia in oratione inveniutur, a Pompeio habita ad senatores et equites et milites, ab Appiano memoriae tradita. Ex iis quoque verbis opinio colligitur, senatores apud Pompeium congregatos, iustum senatum haberi oportere: apud Caesarem etiam legimus summam belli rerumque omnium Pompeio „de consilii sententia permissam esse" [1]).

Num omnia dona, a Senatu Pompeiano urbibus et regibus data, revera eo tempore tributa sint, in medio relinquere debemus. Hoc etenim scimus, senatum anxium fuisse ne decreta irrita fierent; optime enim sciebant, se facere, quod sibi permissum

---

[1]) App. B. C. II 50. „Sauf de rares exceptions il faut ranger les harangues d'Appien, dans la classe des mensonges autorisés par les lois du genre historique chez les anciens". (Egger. Examen Crit. des hist. d'Aug. pg. 261).

Confer autem Schweighäuser Exerc. pg. 78.

Egger pg. 259. „Quant à leur caractère historique, nous avouerons qu'Appien est, avec Tite Live, celui des annalistes de l'antiquité, qui semble avoir suivi de plus près, dans des harangues, les textes authentiques".

Denique vide Wijnne Cap. VIII. pg. 127.

non esset. Mommsen audiamus [1]: Da nach formellem Recht, die gesetzliche Rathsversammlung unzweifelhaft, eben wie das gesetzliche Gericht, nur in der Stadt selbst, oder innerhalb der Banmeile stattfinden konnte, so nannte der Senat von Thessalonik sich die Dreihundert, nicht weil er aus 300 Mitgliedern bestand, sondern weil dies die uralte Normalzahl der Senatoren war".

Mirari non oportet nonnullos quadam sollicitudine motos, futura animo haudquaquam tranquillo prospexisse. Quorum omnium poëta Appium, proconsulem Achaiae, exemplum profert. Eum iam non laetum clade Illyrica a Caesare accepta per oraculum Delphicum eventum gravissimi motus explorare cupivisse responsumque accepisse: „nihil ad te, Romane, hoc bellum: Euboeae Coela obtinebis," etiam Valerius Maximus auctor est.

Apud Orosium, fideliter cum Lucano congruentem, legimus quo modo Appius Claudius Oraculum Delphicum adeat. Orosius oraculi Pythici fidem abolitam esse dicit, quod Lucanus his indicat: „oraculum quod reges vetuere loqui." Refert Orosius et vatem ab Appio Claudio adactam esse in specum descendere, atque de bello consulenti respondisse: „Nihil ad te hoc Romane sqq." Audimus eadem verba, quae Lucanus tribus versibus comprehendit. In praeteritu nobis attingere libet, Orosium rem acu non tetigisse, ubi suspicetur, fidem oraculi abolitam fuisse, quia comtempta esset: „Quare — inquit — contempta, nisi quia vel falsa, vel vana, vel dubia!" Iam supra vidimus, Neronem causum fuisse oraculi silentii, qui deum consuli vetuisset.

---

[1]) R. G. III. pg. 508.
[2]) I. 8, 10.

Apud Valerium Maximum eandem narrationem nos legere supra iam verbo indicavimus. Eodem fonte est usus, quo Orosius, neque dubitari opus est, quin uterque ex Livio hauserit, quandoquidem Valerium Maximum sedulo Livium secutum esse satis constat. Cum Floro saepissime Valerius Maximus congruit, e quibus locis, cum nonnullis Appiani collatis, concludere licet, tres illos scriptores saepe ex Livio sua hausisse. Etiamsi nihil de hac re Livii Periocha CX continet, hanc libri quinti partem non temere coniicimus Lucanum a Livio mutuatum esse, quia prorsus cum manifestis Livii imitatoribus congruit.

Quis tandem ille Appius Claudius fuerit nescimus. Fortasse intelligendus est Appius Claudius Pulcher, consul anno DCC U. C. (53 a. C. n.) Bruti socer, qui a Q. Hortensio et Bruto, anno DCCIV U. C., quum e Cilicia provincia redux et ambitus et maiestatis a Dolabella esset accusatus, defensus est. Frater igitur esset P. Clodii, Ciceronis inimici, ad quem is, qui eius collega in auguratu erat, tertium librum Epistolarum ad Famil. scripsit. Eum Cicero in Disput. Tusc. νεκρομαντείαν exercuisse tradit [1]). Alii vero, ut Orellius, ex Sulpicio, vetere Lucani interprete, intelligi volunt eum, qui ad Ciceronem de augurali disciplina scripserat [2]). Quaestio quisnam ille fuerit, plane igitur incerta adhuc semperque, nisi fallor, manebit.

Caesari ex Hispania in Italiam remeanti inexpectatum periculum inpendere, legionibus moleste ferentibus difficultates itinerum et labores, inter omnes historicos constat. Unum apud Caesarem ipsum non reperitur. Bis autem tumultuatos esse milites in Caesaris historia invenimus, quas seditiones Lucanus confudit. Utri-

---

[1]) Disp. Tusc. I 38.
[2]) Epist. ad Div. III 4.

usque Suetonius mentionem fecit [1]). „Nonam legionem apud Placentiam, quamquam in armis adhuc Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit aegreque post multas et supplices preces, nec nisi exacta de sontibus poena restituit; decumanus autem Romae, cum ingentibus minis summoque etiam urbis periculo missionem et praemia flagitantes, ardente in Africa bello neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis neque dimittere: sed una voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit et flexit, ut ei milites esse confestim responderint, et quamvis recusantem, ultro in Africam sint consecuti". Quibus iam statim Lucanum duas seditiones permiscuisse, videmus, quod consulto fortasse fecit, ne occasionem datam praetermitteret ostendendi mentis praesentiam Caesaris iterumque de eadem re ne loqueretur. Cuius vitii, sive consulto sive per errorem commissi, poëtae facile ob licentiam poëticam, veniam damus, quoniam seditio ante bellum Africanum orta, quod ad summam rei attinet, et ob militum postulata et ob finem, cum hac narrationem optime quadrare videtur, licet ob tempus ipsum, prior seditio potius intelligenda esse videatur.

Neque Livius, neque Florus, neque Orosius ullam mentionem eorum faciunt, quae a Lucano traduntur de militibus seditiosis.

Gravius Lucanus veritatem offendit, ubi Caesarem narrat statim ex Hispania Romam contendisse. Hunc enim Hispania in victoris potestatem redacta ad Massiliam revertisse, constat: quae urbs a legatis suis nondum expugnata esset. Quid urbe factum sit iam supra monuimus.

Quae Romae acta sunt Lucanus diligenter, simul autem cupidius et studiosius, descripsit.

---

[1]) Div Iul. 69.

Caesar quadraginta dies Romae mansit: eum semetipsum dictatorem fecisse Lucanus monet: sed undecim diebus post, se cum Publio Servilio consulem a populo creari iussit [1]). Plutarchus manifesto errans dicit [2]): „αἱρεθεὶς δὲ δικτάτωρ ὑπὸ τῆς βουλῆς φυγάδας τε κατήγαγεν". Caesar enim ipse scripsit, Massiliae ad se legem de dictatore latam esse, seseque dictatorem dictum a M. Lepido cognovisse [3]). Hoc ipsum autem contra legem a praetore factum est. Consul enim dictatorem dicere poterat, senatus consulto facto, lege igitur curiata. Cicero scribit ad Atticum [4]) „Rapiemur aut absentes vexabimur: vel ut consules roget praetor vel dictatorem dicat, quorum neutrum ius est." Populum dictatorem dicere nefas est, quod quidem semel factum est, post pugnam ad lacum Trasumenum: consule absente ab exercitu prodictatore dictus est, quod, Livio auctore, numquam antea factum est.

„C. Caesar in Graeciam traiecit". His paucis Livius, res Romae et ad Brundisium gestas praetermittens, ad bellum in Graecia gestum transit. Neque plura Florus dat: „sed iam debitum par Fortuna flagitante sedem bello Pompeius Epiron elegerat, nec Caesar morabatur. [5])

Iam semel atque iterum notavimus Caesarem ea, quae ut memoria excederent, sua interesset, prudenter reticuisse. Sic ea quoque in Commentariis silentio praeterit, quae redux ex Hispania, antequam in Graeciam traiecit, Romae peregit.

---

[1]) Caes. III I. „Is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret." Quasi quidquam Caesaris referret, an leges violaret necne!
[2]) Caes. 37.
[3]) B. C. II 21.
[4]) Cic. Ad Att. IX 14.
[5]) Sic. O. Jahn pro „moratur", quod legi solet.

iam vidimus, eum moribus patriis comtemptis atque ludibrio habitis omnia arbitratu atque voluntate sua ordinasse et administrasse. Quae apud Caesarem desiderantur, apud Dionem atque Appianum leguntur, qui nulla causa adducebantur, cur ea reticerent, a quibus et iam ea confirmantur, quae Caesar narrat sibi laudabilia, ea volo, quae egit ad eos sublevandos, qui aere alieno obruti essent. Breviter haec omnia, praesertim ea, quae Caesar reticuit, Lucanus tradit, brevius, quam ut inde colligamus, eum Livium secutum esse, cuius vestigia ex omni probabilitate Dio pressit, quocum poëta consentit. Haec enim omnia, quae de Caesare Romae res ordinante, scripserunt, certe ex auctore Caesari studioso petita non sunt. Neque, opinor, Lucanus res benevolo animo depinxit.

Breviter institutis Caesaris memoratis Lucanus ad rem magis aptam, cui vires poëticas adhibeat, transit. Notissimum enim conatum Maris Superi cymba transeundi, dico. Brundisii milites praemissos reperit, quos inde in Graeciam traiecit. Caesar difficultates, a Lucano traditas, non commemorat. Plutarchus vero dicit [1]) eum altum petiisse *χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος*, quod quidem Appianus affirmat [2]): *χειμερίοι δὲ ἦσαν τροπαὶ καὶ τὸ πνεῦμα ἄκοντα καὶ ἀσχάλλοντα κατεκώλυε μεχρὶ καὶ τὴν πρώτην τοῦ ἔτους ἡμέραν ἐν Βρεντεσίῳ διατρῖψαι.* Plane eade Plutarchus in Pompeii Vita tradit [3]).

Primo iam loco nos ponere opus est, Lucanum in describendis Caeraris rebus gestis Italia relicta summa negligentia usum esse. Qua re ne offendamur, nos meminisse in primis oportet, quod iam supra diximus, maximum discrimen inter historiarum

---

[1]) Caes. 37.
[2]) B. C. II 54.
[3]) Pomp. 65.

scriptorem esse et poëtam, neque ab utroque eadem postulari fas esse. Ne vitio tamen Lucano vertatur, quod errores suos nobis probare conatus sit, sed potius quod interdum prorsus nihil det. Quia tamen ipsi poëmati non nocuit, poëtae ignoscatur.

Caesar tandem in Graeciam cum parte copiarum pervenit: partem vero alteram deficientibus navibus in Italia reliquerat. Exspectanti, morae impatienti in animo fuisse constat, cymba Mare Hadriaticum traiicere. [1]) Caesar ipse narrat: „Erat eo tempore Brudisii Antonius..... Multi iam menses erant et hiems praecipitaverat, neque Brundisio naves legionesque ad Caesarem veniebant..... Quibus rebus permotus, Caesar Brundisium ad suos severius scripsit, nacti idoneum ventum ne occasionem navigandi dimitterent [2])". Efficimus ex ipsius Caesaris verbis impatientiam eius atque exspectationem. Profecto iusta causa erat. Caesar enim Antonii proditionem timuisse videtur [3]): *ὁ δὲ δὴ Καῖσαρ βραδύνοντος τοῦ Ἀντωνίου, ᾧ τοὺς ὑπομείναντας ἐν τῷ Βρεντεσίῳ κομίσαι ἐπετέτακτο ... ὑπώπτευσέ τε σφᾶς μεσεύειν τε καὶ ἐφεδρεύειν τοῖς πράγμασιν.* Et Appianus [4]) et Dio Cassius tradunt, Caesaris inceptum audax inchoatum quidem, sed non perfectum. Verborum notissimorum „*θαρρῶν ἴθι πρὸς τὸν*

---

[1]) Non mirandum, in Commentariis hac de re tam altum silentium esse, ut ne verbo quidem audacis incepti mentio fiat. Ego vero existimo, eiusmodi locos aptissime convenire historiis ornatis atque elaboratis, a Commentariorum vero nudorum natura, prorsus abhorrere. Neque hoc praetermittendum est, naturae consentaneum esse, si in Caesare, qui omni ingenio poëtico et imaginandi vi carebat, nihil invenitur, quod a sincero et sicco scribendi genere abhoret.
[2]) Caes. B. C. III 24, 25.
[3]) Cass. Dio XLI 46.
[4]) B. C. II 57.

κλύδωνα· Καῖσαρ Φέρεις καὶ τὴν Καίσαρος τύχην" a Lucano non omittuntur: quibus quidem poëta, mutatis verbis, eodem sensu utitur:

coeli iste fretusque
Non puppis nostrae labor est: hanc Caesare pressam
A fluctu defendit onus. (586).

Florus quoque huius rei mentionem fecit. Narrat enim, quo modo incredibili audacia parva rate Hadriam traiicere conatus, ut ipse illas copias adduceret, ad gubernatorem trepidantem dixerit: „Quid times? Caesarem vehis!"

In Liviana Perioch. CXI haec tantum leguntur: „Cn. Pompeius, ad Dyrrhachium obessus a Caesare et praesidiis eius cum magna clade diversae partis expugnatis obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello apud Pharsalum acie victus est".

Nullam videmus iustam causam, cur pro certo affirmemus Livium Lucano auctorem fuisse, etsi nullo modo ab eo discrepet. Et Dio Cassius et Appianus et Florus et Valerius Maximus tam unanimo consensu audax Caesaris inceptum narrant, ut nulla dubitatio oriatur, quin ex eodem fonte communi hauserint. Cum omnibus Lucanus consentit, quamquam non suspicatur, (quod apud Cassium Dionem invenimus), Caesarem proditionem Antonii timentem, audaciae indulsisse. Livium rursum hunc fontem communem fuisse coniicimus, quum talis narratio a genere eius scribendi minime aliena esse videatur. Livius enim ipse is erat, qui talem rem vividis atque animatis coloribus depingeret. Fieri tamen potest, ut Appianus, quemadmodum saepius solet [1]), harum rerum descriptionem ex Pollionis historia deprompserit,

---

[1]) Nos etiam suspicari, descriptionem rerum ad Rubiconem gestarum, ab Appiano ex Asinii Pollionis historia petitam esse, iam supra monuimus.

quam fortasse et Livius hoc loco ante oculos habuit. Vividis enim coloribus depictus rerum eventus nos in suspicionem inducit Appianum oculatum testem auctorem habuisse.

Pompeium Corneliam uxorem Lesbum misisse apud historicos non invenimus; eam Lesbi fuisse quum bella in Graecia gererentur colligitur e vita Pompeiana, a Plutarcho descripta [1]) ubi legimus: *ἐθελονταὶ δὲ πολλοὶ πρὸς Κορνηλίαν ἔπλεον εἰς Λέσβον εὐαγγελιζόμενοι πέρας ἔχειν τὸν πόλεμον· ἐκεῖ γὰρ αὐτὴν ὑπεξέπεμψεν ὁ Πομπήϊος.* Fere eadem Appianus: *ὅθεν* (Mitylene nempe) *γυναῖκα Κορνηλίαν ἀναλαβὼν καὶ τριήρων τεσσάρων ἐπιβὰς ...... Κορκύρας μὲν καὶ τότε καὶ Λιβύης ὑπερεῖδεν.*

Quando vero eam dimiserit nescimus; verisimile est Lucanum recte scripsisse, Pompeium, summa discrimina suis castris instare videntem, omnibus Caesaris copiis collectis in Graecia decrevisse „coniugii onus tutum seponere". Nodos in scirpo quaerit, quum amorem Corneliae Pompeio causam haesitationis fuisse dicit: mores Pompeii viri dubii atque incerti erant: sacro et firmissimo amore abuti poëtam non oportuisset, quo herois vitium notissimum excusaret.

Liber sextus.

Caesar, cupidus finem bello imponendi, frustra ad pugnam Pompeio provocato iter ad Dyrrhachium facit, ut hac urbe potiatur, sed Pompeius ei hoc iter praecludit, quum firmam prope urbem positionem teneat. Nullo laboris timore deterritus,

---

[1]) Pomp. 66.

Caesar consilium audax init cingendi hostes vallo ducto, quo eos obsidione ad deditionem cogat. Summo iugo Caesar castella disponit, fossas ducit, magno recursu amplum spatium amplexus, opus ingens incipit, cui tot manus operam navarunt, quot Seston Abydo iungere potuere, aut

Pelopis late Ephyren abrumpere regnis,
Et vatibus longae flexus donare Maleae. (58)

Unde colligimus iam Lucanum vidisse, fieri posse ut Isthmus perfoderetur, quo facto navibus utilissimum temporis compendium daretur. Ad quod opus perficiendum duodeviginti saecula nondum suppetebant!

„Tanti labores perierunt." Ut primum Pompeius videt se aggere cingi, ipse a tuta Petra, quam occupaverat, descendit, ut milites Caesaris distrahat eruptionibus factis. At gravior hostis Pompeii castris insidiatur, fames cumque ea horrenda comes, pestilentia inter milites victimas quaerit, quibus malis dux, quominus contentione omnium virium bellum perficiat, prohibetur. Lucanus colorem dat deformibus rebus: genere pulcherrimo dicendi luem depingit victimas rapientem, ratione maxime „realistica", ut verbo hodie celebrato utar, digna quae a principe eius Scholae, Emilio Zola, scriberetur.

Fatum neque Caesari parcit: dura fames et milites eius urget. At virtus non omnino exstincta est. Exemplum Lucanus refert castelli maxima fortitudine defensi, quod quum a Pompeio oppugnaretur, parum afuit quin expugnaretur, nisi a Scaeva centurione, fortissimo viro, defensum esset, cuius facinus, dignum quod memoretur, poëta enarrat. Ob hanc quoque horrendam, ac paene dixierim, atrociorem descriptionem, Lucanus iure discipulis Scholae Realisticae adnumerari posset.

Hac parte repulsus Pompeius alia castella aggreditur, quorum unum tantum expugnare potest: Caesarem recipere conatum, spes tamen fefellit. Fortuna secunda tantopere Pompeius usus esse narratur, ut bellum confecisset, si Caesarem uno ictu voluisset delere. Clementia autem victus, socero vir liberalis pepercit:

Ultimus esse dies, tibi, Roma, malorum
Exire e mediis potuit Pharsalia fatis. (313)

Spe abiecta, qua ratione adhuc bellum gessisset, adversarii vincendi, Caesar Thessaliam petit. Pompeium inimicum secuturum comites a consilio revocare conantur; melius enim fore dicunt patriam petere, nunc hoste carentem. Pompeius vero recusat; „numquam inquit me patriae exemplo Caesaris reddam, numquam me Roma videbat redeuntem, nisi dimisso milite." Rogat num commilitones putent se victorem Romae quietem erepturum, qui urbem fugerit ne proelia premerent.

Ah, potius belli ne quid patiaris in isto
Te Caesar putat esse suam! (328)

Caesarem igitur persecuti in Thessaliam veniunt, quae quo modo sita sit, poëta describit, quum fere centum versibus copiose fabulas ibi fictas pertractat.

Quem ad modum Appium libro quinto Oraculum Delphicum adeuntem vidimus, poëta nunc Sextum Pompeium „prolem indignam magno parente", ut Lucanus affirmat; futura sciendi avidum, venificam Thessalicam consulentem fingit. Stimulante metu ad cognoscendum fati cursum, arcana scrutatur apud Erichto, quae more reliquarum veneficarum spreto urbem fugit, desertaque incolit, cadavera quaerens eaque lacerata ad suas artes adhibens. Eam cum comitibus noctu Sextus visit invenitque interrogata ex cadavere, quod reviviscit, Sextum, pavidum ornatu artibusque alterius Canidiae, futura sciendum curat. Mala et infausta Romanis et ante omnia Pompeiis cadaver praedicat vaticinans:

Europam miseri, Libyamque Asiamque timete,
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis. (818)

quibus nempe mortes trium Pompeiorum indicat: in Aegypto, in Hispania, in Asia. Quibus dictis mortuus mortem reposcit, quam ei venefica herbarum auxilio carminibus recitatis reddit. Erichto Sextum ad paterna castra comitatur: quo is adhuc densis tenebris diem tenentibus pervenit [1]).

Caesar ipse earundem rerum testis est, quas Lucanus narrat. Dicit se iuxta Pompeium castra posuisse atque postridie eductis omnibus copiis acie instructa Pompeio decernendi potestatem fecisse. Huic autem quum decretum esset locis suis se tenere, Caesar exercitu in castra reducto aliud sibi consilium capiendum existimavit. Itaque postero die Dyrrhachium profectus est, sperans fore ut Pompeium ab illa urbe intercluderet. Cuius consilii Pompeius per exploratores certior factus, castra movit, breviore itinere se ei occursurum sperans. Quod fore suspicatus Caesar noctu paullisper itinere intermisso, mane Dyrchachium venit, quum primum agmen Pompeii procul cerneretur atque ibi castra posuit. Pompeium editiorem locum, Petram nomine, occupasse idem Caesar auctor est [2]). Deinde inimicum circumvallare Caesarem instituisse apud eundem legimus, castellis in collibus circumiacentibus positis atque ex

---

[1]) Et Goethius in secunda parte dramatis, quod Fausti nomine inscri: bitur, Erichthus personam depinxit, quae de se ipsa perhibet:

Zum Schauderfeste dieser Nacht, wie öfter schon,
Tret' ich einher, Erichtho, ich die Düstre;
Nicht so abscheulich, wie die leid'gen Dichter mich
In Uebermaass verlästern.... End'gen sie doch nie
In Lob und Tadel.....

Quod quidem num Lucanus fecerit, dicere nequeo: eum autem Erichtho blanditum esse, affirmare non ausim.

[2]) B. C. III 4. 1.

castello in castellum munitione perducta. Cuius incepti tres causas Caesar tradit, quarum ultima vel plurimum valuit: ut auctoritatem, qua ille quum maxime apud exteras nationes niti videretur, minueret, quum fama per orbem terrarum percrebuisset illum a Caesare obsideri neque audere proelio decernere.

Apud Caesarem autem excidisse suspicamur narrationem, quo modo Dyrrhachium proditione ipse capere conatus sit, quae et apud Appianum evanuit, attamen ex Dione Cassio cognosci potest, quocum congruenter Lucanus rem narrat.

Orosius dein nobis, copiosius solito, res post cladem ad Dyrrhachium gestas, refert. Cum Appiano maxima congruentia cernitur, non autem est quod putemus Appianum eodem fonte, Livio, quo Orosium usum esse. Fieri enim potest, ut narratio, a Pollione memoriae prodita, et Appiano et Livio fons fuerit.

Dio, diligens ceteroquin Livii imitator, totam hanc ad Dyrrhachium cladem strictim tantum attingit.

In Commentariis Caesaris, etsi victoriae Pompeianae mentio non fit, universe tacita confessio invenitur se ad Dyrrhachium a Pompeio victum esse. Recte igitur fortasse Lucanus Pompeium eo die bellum conficere potuisse dicit; causam tamen cur non fecerit, quem ad modum vidimus, non recte clementiae tribuit.

Livii Periocha CXI paucissima de his rebus tradit. Florus quoque verborum parcus est. Orosius superest, quocum Lucanus paucis tantum exceptis congruit. Lucanum itaque sive ex Livio, sive ex Asinio Pollione hausisse verimile est, quo Appianum auctore et alias usum esse, nos suspicari supra diximus.

Verba Orosii: „Pompeius Caesaris quoque testimonio victor", quibus Caesar indicatur ipse fassus esse se a Pom-

peio victum esse, mihi a Lucano non discrepare videntur, qui Pompeium Caesari pepercisse refert: hunc tamen a victore deleri potuisse, nisi Pompeius persequentem exercitum revocasset.

Pestilentiae in castris ambobus ortae Caesar mentionem non fecit, licet equorum pabulum inclusos defecisse narret. Frumentum utrique exercitui deerat, quia nova messis maturescere tantum incipiebat. Etsi fames milites Caesaris urgebat, crebrae voces in colloquiis audiebantur, prius se cortice ex arboribus victuros, quam Pompeium e manibus missuros. Apud Plutarchum morbi mentionem factam videmus, qui ex malo victu atque inopia cibi salubris ortus esse ab eo dicitur. Quam narrationem ex Pompeiano auctore depromptam esse verisimile est. Fortasse Livius ei fons fuit, unde etiam Lucanum sua petiisse suspicati sumus.

Licet omnes pugnarent fortitudine, quae erat „dolorum laborumque contemptio" [1]) dignaque quae copiosius memoraretur, uno loco Pompeianis cedendum erat. Castellum, quod centurio Scaeva defendit, paene Pompeius expugnavisset, nisi ille incredibili virtute munus sibi commissum obtinuisset. Hoc Scaevae memorabile factum apud historicos quoque legimus, unde veritas quodammodo colligi potest. Brevioribus et Caesar [2]) et Appianus [3]) et Plutarchus [4]) et Valerius Maximus [5]) memorant: poëtae ignoscatur, quod rem dignam, quae a poëta tractetur, copiosius exposuerit. Apud Orosium

[1]) Cic. de Invent. II. 54.
[2]) B. C. III. 53.
[3]) B. C. II. 60.
[4]) Caes. 68.
[5]) III. 2. 24.

et mentio obsessorum castellorum fit: nomen autem Scaevae non nominat. Florus eius meminit.

Non est quod miremur, poëtam centurioni, partium Caesaris studioso, illam re vera debitam laudem virtutis vix tribuisse. Scaevum descripsit pronum ad omne nefas et nescientem quam magnum crimen virtus in bellis civilibus esset. Potius misericordia eius motus eum infelicem appellat, qui studio vel fato raptus nesciat quanta virtute dominum paraverit!

Pompeius, hac parte repulsus animo haudquaquam fractus, non sibi quiescendum ratus est, sed magis magisque Caesari instandum. Omnibus modis Caesariani ab hostibus ad munitiones premebantur, ita ut aegre resisterent; magnum militum numerum Pompeiani ceciderunt. Fortuna quidem, quae plurimum potest quum reliquis rebus, tum praecipue in bello, licet parvis momentis magnas rerum commutationes fecerit et Caesari quoque invicem faverit, effecit ut hic sibi omnem commutandam belli rationem existimaret. In Thessaliam Caesar migrare constituit, quia munitionum corona a Pompeio perfracta magnopere rei frumentariae timebat [1]). Omnia haec, ut vidimus, recte atque ordine a Lucano narrata sunt. Quod tamen affirmat Pompeium uno ictu inimicum delere potuisse, nisi misericordia atque humanitate motus effugium ei dedisset, toto coelo errat. Eodem modo poëta heroëm suum immeritis effert laudibus, ubi dicit eum amore patriae victum in Italiam traiicere noluisse, ne patriam malis belli civilis afficeret. Studiose Pompeium Lucanus partes viri praestantis ac devotionis pleni agentem inducit, quas profecto Pompeius ipse sibi deprecatus esset.

Versus igitur:

[1]) B. C. III. 74.

Hesperiam potui, motu surgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis
Ac medio pugnare foro. (324)

licentia poëtica scripti sunt, quum quidem cum universa Pompeianorum fuga ex Italia Caesare Romae appropinquante, minime congruere videantur. Hoc autem Lucani manibus solacio esse possit, eum non solum errasse. Dio Cassius enim eandem opinionem venditat scribens [1]): ἐκ δὲ δὴ τῆς αὐτῆς ταύτης διανοίας οὔδε εἰς τὴν Ἰταλίαν οὔτ᾽ αὐτὸς ἔπλευσεν οὔτ᾽ ἄλλους τινὰς ἔπεμψε, καίτοι ῥᾳδίως ἂν πᾶσαν αὐτὴν κατασχών. Quae nobis rursus testimonio sunt Dionem et Lucanum ex eodem fonte hausisse.

Caesar in Thessaliam profectus poëtae potestatem dat historiam enarrandi, ad eam regionem pertinentem. „Le mot — inquit Nisard [2]) — éveille la chose." Nullius regionis descriptio magis apta videtur ad eruditionem ostentandam, quam ipsius Thessaliae; nulla enim regio clarior ob artem magicam. Thessalicae veneficae omnibus notae. Unam ex earum numero Sextum Pompeium consuluisse Lucanus finxit, cuius rei nemo ceteroquin testis est. Poëta heroïs filium perperam „prolem magno parente indignam" vocat. D. Iunius Brutus Albinus scripsit ad Brutum et Cassium anno DCCX a. U. C. (43 a. C. n.) [3]): „Quia ubi consistamus non habemus praeter Sextum Pompeium et Bassum Caecilium, qui mihi videntur hoc nuntio de Caesare adlato firmiores futuri"; sed hoc ad posterius tempus spectat, ut iam annus, quo Epistola scripta est, nos docet. Sextum piratam habere, ut a Lucano habetur, fieri non potest,

---

1) B. C. XLI. 52.
2) III. pg. 71.
3) Epist. ad Fam. XI. 1.

nulla iniuria illi praestanti viro illata. Non enim Siculus pirata Sextus maritimos triumphos patris rebus suis gestis polluit.

Per mortuum reviviscentem poëta dolorem testatur virorum magnorum, qui in Orco iniuriam hodie perpetratam maerent: scelerati autem gaudent Catilina, Marius, Cethegus; Gracchi etiam et Drusus, quos omnes poëta, di meliora! eadem mensura metitur. Per hoc ipsum iudicium Erichthus νεκυΐα magni momenti est. Quanto brevius, quantoque eo ipso pulchrius Tibullus Thessalam sidera de coelo ducentem atque futura canentem depinxit [1]). Quanto elegantius Horatius Canidiam famosam veneficam descripsit [2]); Canidiam crines implicatam brevibus viperis, miscentem herbas, quas Iolcos atque Hiberia ferax venenorum misit, et medullam miseri pueri exsucentem! Sed copiosius describens Lucanus suo et omnium aequalium studio indulsit minutissime et subtilissime res depingendi. „Que de détails inutiles — dicit Nisard — à propos d'une chose de détail." At omnibus illius aetatis poëtis proprium erat, eruditionem hac ratione prae se ferre et, ut iterum Nisard loquentem inducamus [3]): l'érudition était presque naïve dans Lucain, elle fut pedante et prétentieuse dans Silius, dans Valérius Flaccus, et surtout dans Stace. Or jugez ce que c'est qu'un goût déjà anti-poëtique, quand il est poussé à l'excès."

---

2) Tib. I. 2. 41. seqq.
3) Hor. Epod. V.
1) III. pg. 68.

Liber septimus.

Proverbium „quem deus perdere vult, prius dementat", in Pompeium ante pugnam, qua sors eius decerneretur, apte quadrare videtur. Dii ei dormienti inane insomnium mittunt, quo memoriam pristinae felicitatis evocent, sed simul ultimam partem vitae olim felicis, eo crudelius his rebus prosperis, iam nunc elapsis, opponant. Sibi enim visus est cernere in Theatro, a se ipso exstructo, populum Romanum laetis vocibus nomen suum ad sidera tollentem, cuneosque plausu certantes. Talis olim fuit facies populi, talis clamor auditus est, quum iuvenis, aetate primi triumphi, gentibus Hispaniae domitis fructus fortunae secundae Romae colligeret. Utinam somnus quo, ne mala instantia videat, lumina eius merguntur, quo felicitate iamiam in aeternum evasura fruitur, nullo rumore abrumpatur! Sed res ducem quiescere non sinunt. Prima enim lux infelici viro gratissimam praeteriti temporis memoriam adimit, ut eum mediis in rebus ponat. O duram veritatem, plane contrariam suavi insomnio!

Milites se impatientes praestant: sua quisque ac populi Romani fata praecipitare cupit: segnem pavidumque ducem vocant ac nimium soceri Caesaris patientem. Queritur miles bellum trahi seque diutius quam opus fuisset, procul a patria teneri. Facundus Cicero omnium querelas ad Pompeium pertulit. „Fortuna — inquit — ipsa precatur ut se uti velis. Te pudeat vicisse a militibus coactum. Noli diutius expectare: vibrant tela manus, vix signa retinetur;

Propera ne tua classica linquant,
Scire senatus avet, miles te Magne, sequatur
An comes. (85)

Tandem Pompeius amplius morari fas non esse ratus, se exorari passus est: nil ultra fata morabitur. Sed invitus hostem aggreditur, nam sine caede Caesar subactus ac captivus paci tradi potuisset. Victoria igitur ei non laetior quam mors:

Aut populis invisum, hac clade peracta
Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen.
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum,
Omne nefas victoris erit. (123)

Milites ira furentes frenis laxatis palam faciunt, illo bello quaeri, quid esset Roma. Sed dii malis ominibus homines non privant; fugit enim ab ara taurus neque ulla sacris victima inventa est.

Quosnam autem deos Caesar invocaverit, poëta cum contemtu rogat. Eumenides an Stygis numina? Quod quidem incertum, sed hac nocte campos Thessalicos magna manu deorum celebratos esse, ibique monstra visa esse constat. Omnes timor tenebat: ubique terror vagabatur; non magis in Graecia quam in Italia homines trepidabant. Haud mirum, nam augur sedens in colle Euganeo, ad Patavium sito, ipso die pugnae vaticinatus est:

Venit summa dies, geritur res maxima, dixit,
Impia concurrunt Pompeii et Caesaris arma. (196)

Laetus Caesar aciem inimici instructam conspicit; qua visa milites suos hortatur: videt sibi ablatum tempus sexcenties optatum, quo omnia in extremos casus mitteret. Nil opus esse votis ait, iam fatum ferro arcessere commilitones iubet. Eos in manibus habere dicit, quantus Caesar futurus sit. Sed primo loco sibi milites semper fuerunt semperque erunt.

Omnia dum vobis liceat, nihil esse recuso. (268)

Pompeii exercitum non omnino timendum ratus, constare tradit ex iuvenibus in gymnasiis eruditis, vix arma ferentibus, non autem ex strenuis viris, quales bella diuturna suos commi-

litones reddiderint. Praeterea, num quidquam harum externarum gentium intererit, cuius Romanum imperium futurum sit ducis? Hi pro patriae salute, pro carissimo duce non pugnant, ut Caesariani. Postremo eos castra diruere iubet. „Nolite — inquit — parcere castris, ne habeatis quo clade accepta pedes referatis: mori aut vincere hodie, utrum velitis, vobis eligendum est".

Pompeius ut videt hostiles catervas in sese invadentes, stat attonitus:

„tantoque duci sic arma timere, omen erat."

Animo tamen recollecto vires ei suppetunt ad milites confirmandos. Omnes vires intendere eos iubet. Deos sibi praesentes adesse dicit, quum benevolis animis se, adhuc servaverint. Sed tantum Caesarem inimicum habere non satis esse dicit: alias quoque esse causas cur militibus fortiter pugnandum sit; commilitones animo fingere oportet matres, senes, Romam denique ipsam ad pedes suos prostratam preces afferre. Precatur ut fortiter pugnando efficiunt, ne senex servire discat.

Utrimque igitur agmina concurrunt: libertatis suprema hora adest. Poëta de funesto Romae bello conqueritur deque libertate amissa: omne Latium hac ipsa pugna fabula fiet. Incusat deos qui Romam perire sinunt; quid, quod eo procedit desperationis ut exclamet:

Sunt nobis nulla profecto
Numina, quum caeco rapiantur saecula casu.
Mentimur regnare Iovem! (446)

Num dii, si re vera essent, hoc scelus turpissimum paterentur? Mortalia nulli deorum curae sunt. Hoc tantum boni bella civilia hominibus dedere: bella pares superis facient civilia divos, principes post mortem dii fiunt. Hos versus, hunc „cantum sepulchralem libertatis" ut van Kortüm eos vocat [1]), inter

[1]) Forschungen pg. 222.

pulcherrimas partes totius poëmatis habendos esse equidem puto.

Dein pugnam poëta depingit: Crastinus Caesarianus proelium inchoasse dicitur: o utinam di tibi non mortem, quae poena cunctis hominibus paratur, sed sensum post fata peracta dent: sempiternos cruciatus meretur, qui primus tortam lanceam sanguine Romano tinxit. Caesar a latere sinistro Pompeianos adoritur: cornu equitum Pompeii e barbaris gentibus collectum pellitur, qua re denuo palam factum, bella civilia numquam bene commissa barbaricis catervis. Media tamen acies impetum hostium sustinet, neque loco cedit: Romani etenim ibi instructi erant. Caesar ipse pugnavisse a Lucano scribitur; ipse manu gladios subiecisse atque tela ministrasse dicitur; iussisse ferro contundere adversos vultus; excitasse cessantes verbere conversae hastae, monstrasse senatores, in quos milites saevirent, e quibus unum Domitium poëta nominat, a quo, quum caleret, Caesar responsum accepit: „sperare mihi licet te graves poenas Pompeio mihique daturum."

Talem furorem successu carere non oportuit: cadit patriciorum magnus numerus; perit patriae decus; maius vulnus quam quod saecula sua ferrent, populi ab hac acie habent, plus quam vita et salus hic perit, prosternitur enim populus Romanus, totum aevum:

Vincitur his gladiis omnis quae serviet aetas. [1]) (641)

Pompeius omni spe abiecta sibi fugiendum ratus, equum

[1]) Goethius in secunda parte Dramatis Faust:
Hier aber ward ein grosses Beispiel durchgekämpft,
Wie sich Gewalt Gewaltigerm entgegegen stellt,
Der Freiheit holder, tausendblum'ger Kranz zerreisst,
Der starre Lorbeer sich ums Haupt des Herrschers biegt.

conscendit: nullo gemitu audito, nulla lacrima effusa dolorem verendum salva maiestate secum aufert, qualem Magnum decebat Romanorum malis praestare. Tacitum dolorem animo ferens primum Larissam venit; a fuga tamen desistere non vult, licet cives ei benigni obviam veniant, cum tristibus fletibus munera promittentes seque cladium comites optantes.

Castris Pompeii victi ac fugati Caesar potitus, praedam in iis inventam militibus relinquit. Statim enim castra occupaverat ne fusi fugatique his revocarentur. Impulit igitur Caesar milites amentes cupidine auri; scire gestiunt quanta mercede sese sceleris obnoxios fecerint. Avaritia tandem satiata a sceleribus ipsis, ut famem auri expleant, non abhorrent. Corpora ut somno levent, impia plebs in toro patricio membra nocentia tendunt: in parentum fratrumque cubilibus nocens filius fraterque somnum capiunt; sed vesana quies eos agitat, invigilat omnibus saevum Scelus totaque mente arma agitant. Poenas scelerum etiam dormientes dant, neque iis quiete optata quidem, sed non merita frui per deos licet.

Caesar cupidus proelii locum visendi, postero die sibi cupienti indulget: cernit propulsa cruore flumina et excelsos colles corporum. Invidet miseris busto: vel uno, omnibus parato: vetat cadavera humari, quod ne Hannibal quidem vetuit, qui consuli Aemilio Paulo iusta persolvi non negavit. Tabesne cadavera solvat an rogus, ei cordi non est: neque eum pudet quod ferae veniunt, quae corpora lacerent, quibus, insolita praeda allectae, famem expleant artus degustando. Quasi voluptate quadam poëta has crudeles atque odiosas ferarum epulas depinxit.

Thessaliam infelicem denique Lucanus alloquitur. Quonam crimine deos misera illa regio laeserit, poëta rogat, cur tot tantaque scelera ibi perpetrata sint? Neque solum poena in

praesentia: quamdiu enim manes vomere violabuntur? O, utinam liceret odisse terras nocentes:

Quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem?
Hesperiae clades, et flebiles undi Pachyni
Et Mutina et Leucos puros fecere Philippos. (872)

Licet fatendum sit insomnium, enarrationi rerum gestarum praemissum, poëtice a Lucano descriptum esse, uno tamen tenore nobis addendum est, poëtam hanc rem non de suo addidisse, quandoquidem eius rei et apud Plutarchum, et apud Florum, et Iulium Obsequentem mentionem factam esse videmus. Non igitur dubitandum, quin Lucanus hanc quoque rem apud Livium legerit, ut in hoc libro praesertim eum Livii auctoritatem semper secutum esse videbimus.

Quod quidem in poëta nulla ratione moleste ferimus, summo autem iure probamus, ubi manifestum exemplum mutatae fortunae nobis proponit. Misericordia infelicis ducis animus movetur ubi legimus, quibus honoribus a populo olim auctus esset, sed simul non accusare virum levem atque incertum non possumus qui sua ipsius culpa ad scopulum infelicitatis haesisset, cui, quum posset, mala averruncandi animus non inesset, immemori illius Graecorum:

Θεοὶ τ'ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται.

Notissimum „in magnis voluisse sat est" non semper et ubique adhibeatur: fortibus agendum est, si iuvari a Fortuna cupiunt.

Caesarem ipsum scivisse quid vellet, apparet. Occasione enim proelii committendi sibi utendum existimavit. „Animo simus — inquit — ad dimicandum parati, non facile occasionem postea reperiemus." [1]) Pompeium autem suorum omnium hortatu opus

[1]) B. C. III. 85.

erat. Etiam Plutarchus [1]) eum *Φυγομαχοῦντα* vocat. Appianus eadem nos docet [2]): *καμνόντες ὅλως τῷ πολέμῳ, τὴν κρίσιν ταχυτέραν μᾶλλον ἢ πρέπουσαν ἐπειγόμενοι γενέσθαι, πάντες ἐξώτρυνον αὐτὸν εἰς τὴν μάχην, ἐπιδεικνύοντες ἀεὶ τὸν Καίσαρα παρατάττοντά τε καὶ προκαλούμενον .... ἐνοχλούμενος δὲ ὑπό τε τοῦ στρατοῦ παντὸς ἐπηρμένου τοῖς περὶ τὸ Δυρράχιον ἀμέτρως .... ἐξέστη τῶν οἰκείων λογισμῶν καὶ ἐνέδωκεν αὐτοῖς.* Ciceronem autem cunctorum querelas ad Pompeium pertulisse cum fide historica congruere minime videtur.

Pompeium moras nexuisse neque valde cupidum fuisse proelii committendi Florus cum Lucano congruens affirmat; neque ab Appiano discrepat. Constat eum milites adhortatos esse et ad proelium incitasse, quorum sententias Ciceronem protulisse Lucanus finxit libertate poëtis concessa abusus. Cicero traditur eo tempore, quo ad Pharsalum pugnatum est, in Sicilia aeger fuisse ibique accepisse litteras a victore Caesare, ut bono esset animo. Sic a Scholiasta doceremur, si ei credere vellemus, qui addit Livium hoc tradidisse, quod autem manifesto errore refert. In Livii enim Periocha CXI legimus: „Cicero in castris remansit, vir nihil minus quam ad bella natus." Ipse Cicero testis est se aciei Pharsalicae non interfuisse. [3]) Ex castris, i. e. Dyrrhachio, ubi eum Livius mansisse narrat, nonnullas litteras scripsit, quae docent eum cum Pompeio post cladem Caesaris ad Dyrrhachium non profectum esse. (Confer Cic. de Divin. II 55). Verba Plutarchi: *δι' ἀρρωστίαν οὐ μετέσχε τῆς μάχης* [4]) iis

---

[1]) Pomp. 67.
[2]) B. C. II. 67.
[3]) Cic. Ad fam. IX. 18: „In acie Pharsalica non fui.".
[4]) Cic. 39.

confirmantur, quae Cicero ipse scribit [1]): „Me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis." Etiam Dio obiter [2]) narrat Ciceronem Dyrrhachii mansisse, unde post pugnam Pharsalicam (non *παραχρῆμα*, ut Dio vult, sed *κατασχὼν δ' εἰς Βρεντέσιον καὶ ἐνταῦθα διατρίβων* [Plut. Cic. 39] Romam revertit. Ea igitur, quae in Liv. Perioch. narrantur vera esse constat, quod in nostrum poëtam melius quadrare videtur: libertate poëtica igitur, non ita abusus est, ut eum ex verbis Scholiastae fecisse suspicaremur, quum Cicero in Graecia saltem rebis gestis adfuisse videatur.

Facile intelligimus Ciceronem non cupiisse pugnae interesse. Non enim erat „ad bella natus", ut Livius recte dicit. Neque is erat qui in hoc discrimine rerum fortiter sententiam profiteretur, quem ad modum eum Lucanus fecisse narrat. Maxima trepidatione eventum exspectabat, neque discrimen verbis suis acceleravisset. „Wo er zu handeln schien, waren die Fragen auf die es ankam, regelmässig eben abgethan: dicit Mommsen [3]), cuius autem de Cicerone non minus quam de Caesare, aequum iudicium magnopere desideratur. Quod ante omnia hic locus demonstrat ubi vir patriae saltem amantissimus fuisse dicitur „ein Staatsman ohne Einsicht, Ansicht, oder Absicht, der nach einander als Democrat, als Aristocrat, und als Werkzeug des Monarchen figurirt, und nie mehr gewesen ist, als ein kurzsichtiger Egoist.") Cicero omnibus his asperis ac tristibus verbis, mea quidem sententia minime dignus habendus est.

---

[1]) Ad Att. XI. 4.
[2]) B. C. XLII. 10.
[3]) R. G. III. 619.

Iam nos indicare oportet apud Plutarchum Livium ipsum nominatum esse, qui tradidisset ante pugnam Pharsalicam omen faustum praedictum esse a Cornelio quodam Patavino, qui a Plutarcho appellatur *ἀνὴρ εὐδόκιμος ἐπὶ μαντικῇ* [1]). Quae deinde Plutarchus in eodem capite tradit, apud Iulium Obsequentem (cap. 65) inveniuntur, qui ex Livio hausit. Eadem apud Dionem Cassium leguntur, hac igitur in re Livium secutum. Quae omnia testimonia sunt hanc quoque partem a poëta ex eodem fonte petitam esse. Mirandum autem est, Plutarchum omnibus prodigiis atque portentis enumeratis ante pugnae descriptionem, addidisse unum etiam et alterum pugnae eventu iam descripto.

Aciem depingens instructam Lucanus a veritate non recedit. Ambos exercitus, qui ante pugnam commissam *τριάκοντα σταδίους ἀλλήλων ἀπεῖχον*, [2]) in sinistra ripa Enipei locum tenuisse etiam Caesar testis est [3]). Ubi Lucanus dicit Lentulo curam sinistri cornus fuisse, manifesto fallitur. Maxima enim discrepantia inter omnes est. Dextro cornu Lentulum praefuisse Appianus narrat [4]), Domitium sinistro. Idem nos docet Plutarchus [5]), qui simul addit ipsum Pompeium dextro praefuisse. Neque Caesar ipse rem expedit. Res expeditur si et Appianus et Plutarchus pro sinistro dextrum scripsisse putamus: Lentulum igitur sinistro praefuisse, quo in cornu simul Pompeius esset, cuius sub auspiciis Lentulus rem gesserit. In hoc sinistro cornu erant duae legiones a Caesare traditae initio dissensionis

---

[1]) Caes. 47.
[2]) App. B. C. II. 65 i. f.
[3]) B. C. III. 83. Confer etiam Leake. Northern Greece IV. 320 et Frontin. Strateg. II. 3. 22.
[4]) App. B. C. II. 76.
[5]) Caes. 44. Pomp. 69.

ex senatus consulto [1]); quarum haec prima, altera tertia appellatur [2]). Primae legionis apud Lucanum quoque mentio fit. Mediam aciem Pompeii socer Scipio tenebat cum legionibus Syriacis. Sic enim Caesar tradit.

Quae sequuntur, quod ad contiones a Lucano traditas pertinet, plane ficta sunt. Orationes ipsae doctrinam atque, ut ita dicam, *τὸ φροντιστηρίον*, non *τὸ πέδιον* redolent. Apud Caesarem quidem et Dionem Cassium verba eiusmodi significationis invenimus, unde colligimus Dionem apud Livium verba Caesaris legisse, quae a Livio in vicem ex Commentariis petita esse suspicamur. Lucanum igitur ex eodem fonte sua sumpsit quo Dio Cassius. Caesar milites allocutus cum militari more ad pugnam cohortaretur, non iisdem verbis, sed eadem verborum sententia utitur quibus Lucanus: testibus se militibus uti posse, quanto studio pacem petisset, quae per Vatinium, per A. Clodium egisset, quibus modis de legatis mittendis contendisset. Neque se umquam abuti militum sanguine, neque rem publicam alterutro exercitu privare voluisse [3]). Dixit uterque dux — Dio inquit [4]) — *πανθ' ὅσα ἐν τῷ τοιούτῳ πρός τε τὸ αὐτίκα τοῦ κινδύνου καὶ πρὸς τὸ ἔπειτα πρέπει λέγεσθαι. ἔκ τε γὰρ τῆς αὐτῆς πολιτείας ὁρμώμενοι καὶ ὑπὲρ τῶν αὐτῶν λόγους ποιούμενοι, καὶ ἀλλήλους τε τυράννους καὶ αὐτοὺς ἐλευθερωτὰς αὐτῶν ὀνομάζοντες, οὐδέν σφισι διάφορον εἰπεῖν ἔσχον, ἀλλ' ὅτι τοῖς μὲν ἀποθανεῖν, τοῖς δὲ σωθῆναι, καὶ τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις, τοῖς δὲ ἐν δεσπότου μοίρᾳ πάντα τε ἔχειν ἢ πάντων στερηθῆναι, καὶ παθεῖν ἢ ποιῆσαι δεινότατα, ὑπάρξει.*

---

[1]) Caes. B. C. I. 2 et 3.
[2]) Caes. B. C. III. 88.
[3]) B. C. III. 90.
[4]) Cass. Dio B. C, XLI. 57.

Unus Appianus copiosius uberiusque rem persequitur, apud quem Caesaris significatio verborum, quibus Lucanus utitur invenitur, „parcite ne castris": quibus addit: „ἵνα μηδὲν ἔχωμεν ἂν μὴ κρατῶμεν" [1]), aut vincere, aut mori necesse est: tertium non datur. Quem ad modum princeps Mauritius apud Nieuwpoort, nautas vela ventis dare iussit ne commilitonibus spes effugiendi superesset navibus quibus advecti erant, sic Caesar castra sua in integro manere noluit, ne milites haberent quo se reciperent clade accepta. Castra Pompeii iis castra futura vult: in illo tantum vallo tendere iis licebit. Plutarchus milites iussum ducis exsecutos esse testis est [2]): "Επεὶ δὲ τῶν σκηνῶν ἤδη καταλελυμένων οἱ σκοποὶ προσίππευσαν . . . κ. τ. λ.

Laus proelii diligenter dilucideque descripti Lucano tribui nequit. In rebus autem magni momenti ab historia non discedit. Apud historiarum scripores Crastinus evocatus quidam, primus ex dextro cornu procucurrisse dicitur atque proelium inchoasse. In eum Crastinum apud Florum quoque incidimus. Scholiasta bis eius mentionem facit, ubi tradit Livium eum nominasse, „qui primus tela iaculatus sit in Pompeii aciem". Hoc igitur ex Livio sumere potuit poeta. Crastini nomen apud Appianum quoque legitur, qui quae de eo narrat ex Livio fortasse de prompsit. At nusquam Livium testem citat, quoniam autem paucis ante Asinii Pollionis mentio fit, potius eum et hic eius historiam consuluisse crediderim.

Equites a sinistro Pompeii cornu universi impetum fecisse Caesar narrat. Hunc impetum Caesaris equitatum non tulisse, sed paullatim loco motum cessisse uterque scriptor, et

---

1) B. C. II. 74.
2) Caes. XLIV.

Caesar et Lucanus, nos docet. Quod ubi Caesar animadvertit, signo dato quartae aciei in Pompeii equites tanta vi impetum fecerunt, ut nemo eorum consisteret, omnesque conversi non solum loco excederent, sed protinus celeri fuga montes altissimos peterent. Ita Caesar cum poeta consentiens [1]).

Equites momentum magnum ad pugnam dedisse et Florus affirmat. Caesarem ipsum multum in ipsa pugna versatum esse, et ex Orosio et ex Floro et ex Appiano colligi potest: unde igitur Lucanus petierit, facile colligetur. Caesarem autem hastae verbere cessante suos excitasse atque in senatores potissimum saeviisse, nullius testimonio confirmatur. Et apud Florum legimus Caesaris notissimum praeceptum, milites facies ferire oportere, quod Mommsen ita explicat [2]): „Die Infanterie, welche hier in ganz irregulärer Weise offensiv gegen die Cavallerie auftrat, der mit Säbeln nicht bei zu kommen war, sollte ihre Pila nicht abwerfen, sondern sie als Handspeere gegen die Reiter brauchen und um dieser sich besser zu erwehren, damit nach oben zu stossen." Plutarchi enim verba falsa habenda sunt [3]): οὐ γὰρ ἠνείχοντο τῶν ὑσσῶν ἀναφερομένων, οὐδὲ ἐτόλμων ἐν ὀφθαλμοῖς τὸν σίδηρον ὁρῶντες, ἀλλ' ἀπεστρέφοντο καὶ συνεκαλύπτοντο φειδόμενοι τῶν προσώπων, ob hanc ipsam causam, quia equitatum Pompeii non imprimis νέοις καὶ κοσμῶσιν ἐπὶ κάλλει καὶ ὥρᾳ compositum fuisse apparet, ut Plutarchus eodem capite nos docere vult.

Eorundem verborum apud Orosium mentio fit, qui etiam commemorat „castra diripienda esse." Cuius rei quid consilium esset supra docuimus. Ex omni parte cum Floro et Oro-

---

1) B. C. III. 93.
2) R. G. III. 427.
3) Caes. 45.

sio talis consensus Lucani animadvertitur, ut dubitare nequeamus eos ex eodem fonte sumsisse, eoque facilius ut hoc credamus adducimur, quia et Dio Cassius cum poëta consentit, quem in hoc libro (ab initio usque ad finem cum Lucano et Floro et Orosio consentientem), ex Livio hausisse non temere suspicamur.

Melius Lucanus veritati consuluisset, quum Caesarem post victoriam postero die in optimates saeviisse scripsisset. Iterum Mommsen audiamus [1]): „Caesar, der schon am Tag der Schlacht die Soldaten erinnert hatte im Feinde nicht den Mittbürger zu vergessen, fand doch nöthig jetzt die Strenge wallten zu lassen. Die gemeinen Soldaten wurden in das Heer eingereiht, gegen die Leuten besseren Standes Geldbussen oder Vermögensconfiscationen erkannt: die gefangene Senatoren und namhaften Ritter erlitten mit wenig Ausnamen den Tod. Die Zeiten der Gnade waren vorbei, je länger er währte desto rüchsichtloser und unversöhnlicher waltete der Bürgerkrieg." Quae singula a Dione [2]) et Caesare [3]) ipso et Plutarcho [4]) confirmantur. Ii tantum excepti sunt, quos amici eius, quibus singulis enim salutem permiserat, a supplicio exemerunt.

Appianus eodem modo tradit, quo Lucanus (quae Caesar reticuit, fortasse quia indicio esse posset in quanto discrimine res versata esset) Caesarianos castris exituros vallum convulsisse fossaque aggere complevisse, ne militibus refugium victis superesset. Quam rem Appianus et Lucanus ex eodem fonte communi hauserunt. Lucanum vero Asinii Pollionis auctori-

[1]) R. G. III 429.
[2]) Dio B. C. XLI. 62.
[3]) B. C. III. 98. 2.
[4]) Caes. 46.

tate usum non esse ideo censeo, quia apud poëtam non inveniuntur ea quae Pollionem tradidisse scimus: castris captis in auxilia sub Caesaris oculis maximo furore saevitum esse. Quae si Lucanus apud auctorem suum legisset, procul dubio memoriae prodere non neglexisset, quum castra expugnata atque direpta describeret: clementiae enim erga dediticios, qua inter omnes constat Caesarem usum esse, mentio apud Lucanum non facta est. Appianus huius rei testis est [1]): ὁ Καῖσαρ κήρυκας ἐς τὰς τάξεις πανταχοῦ περιέπεμπεν, οἱ τοῖς νικῶσιν ἐκέλευον ἀψαυστεῖν τῶν ὁμοεθνῶν, ἐπὶ δὲ τοὺς συμμάχους μόνους χωρεῖν.

Domitium moribundum colloquium odii plenum cum Caesare habuisse, a poëta fictum est. Caesar enim tradidit [2]) eum ex castris in montem refugientem viribus lassitudine deficientibus ab equitibus interfectum esse. Cicero nos docet Antonium Lucium Domitium „clarissimum et nobilissimum virum" occidisse [3]).

Inter omnes historiarum scriptores Pompeium maxima celeritate atque pavore incitatum in fugam se dedisse unanimus consensus est. Caesar haec habet [4]): „Pompeius se ex castris eiecit protinusque equo citato Larissam contendit". Dio Cassius [5]): „ὁ Πομπήιος πάντων τῶν ἑαυτοῦ πραγμάτων παραχρῆμα ἀπέγνω, καὶ οὐκέτ' οὔτε τῆς ἰδίας ἀρετῆς, οὔτε τοῦ τῶν λοιπῶν στρατιωτῶν πλήθους .·. . . λογισμόν τινα ἐποιήσατο". Plutarchus [6]): „Τραπομένων δὲ τούτων, ὡς κατεῖδε τὸν κονίορτον ὁ Πομπήιος

[1]) B. C. II. 80.
[2]) B. C. III. 99.
[3]) Philipp. II. 29. 71.
[4]) B. C. III. 96.
[5]) XLII. 1.
[6]) Pomp. 72.

καὶ τὸ περὶ τοὺς ἱππέας πάθος εἴκασεν, ᾧ μεν χρήσατο λογισμῷ χαλεπὸν εἰπεῖν, μάλιστα δὲ ὅμοιος παράφρονι καὶ παραπλῆγι τὴν διάνοιαν, καὶ μηδ' ὅτι Μάγνος ἐστὶ Πομπήιος ἐννοῦντι, μηδένα προσειπὼν ἀπῄει βάδην εἰς τὸν χάρακα". Appianus [1]): „*Πομπήιος δ' ἐπεὶ τὴν τροπὴν εἶδεν, ἔκφρων αὐτοῦ γενόμενος ἀπῄει βάδην εἰς τὸ στρατόπεδον, καὶ παρελθὼν ἐς τὴν σκηνὴν ἐκαθέζετο ἄναυδος"*.

Quanto liberius Lucanus heroëm suum depinxit. Eum in equum escendere iussit partesque intrepidi atque magnanimi viri agentem inducit. Apud Lucanum Pompeius invitis historicis, qui saltem nobis per iniuriam temporum supersunt, nomine Magno dignissimus describitur; in virtute pristina permanet: ubi dolore angitur, dolor semper reverendus est salva maiestate. Plura dicere opus non est: poëtam studii culpa nullo modo absolvendum esse videmus.

Ducem fugientem Larissam petiisse iam Caesar nos docuit [2]). Cives laeto animo eum accepisse nemo nisi Lucanus refert. Dio dicit [3]) „*ἐς μὲν τὴν πόλιν οὐκ ἐσῆλθε, καίτοι τῶν Λαρισαίων ἐσκαλούντων, φοβηθεὶς μή τινα ἐκ τούτου αἰτίαν ὀφλῶσιν*", e quibus denuo apparet eum non plane metu vacasse, ut Lucanus perhibet. Statim igitur veritatem Euripidis verborum expertus: *ἀνδρὸς κακῶς πράττοντος ἐκποδὼν φίλοι*, ubi tempora nubila facta essent se ab amicis destitutum esse cognovit, vel saltem suspicatus est.

Milites castris Pompeii potitos magnam vim auri atque argenti invenisse Caesar auctor est. [4]) Multa inventa esse quae

[1]) B. C. II. 81.
[2]) B. C. III. 96.
[3]) B. C. XLII. 2.
[4]) B. C. III. 96.

nimiam luxuriam et victoriae fiduciam designarent, idem tradit. Facile ex iis colligimus nihil victos de eventu eius diei timuisse, qui non necessarias conquirerent voluptates. „Seit den Ereignissen von Dyrrhachium betrachteten diese Herrn den Triumph ihrer Partei als eine ausgemachte Thatsache: bereits wurde eifrig gehadert über die Besetzung von Caesars Oberpontificat und Anfrage nach Rom gesandt um für die nächsten Wählen Häuser am Markt zu miethen" [1]).

De numero militum, qui utrinque occiderunt, apud Lucanum nihil legimus. Etsi igitur fontem eius indagari opus non est, paucis tamen hanc rem attingemus, quia auctorem nominare debemus, quem interdum fortasse Lucano fontem fuisse suspicati sumus. Caesar ipse tradit in proelio Pharsalico se non amplius ducentos milites desiderasse, sed centuriones circiter triginta cecidisse refert. At Asinius Pollio, testis igitur haudquaquam Pompeianis partibus favens, qui inter duces Caesarianos ei proelio praefuit, non plus sex millibus ex Pompeianis cecidisse in suis Comentariis tradidit [2]). Appianus vero Caesarianos ducentos occidisse, sed secundum alios duodecim millia interfectos esse scribit. Addit: „*τῶν γε Ἰταλῶν, οὐ γὰρ δὴ τῶν γε συμμάχων οὐδ' ἐξαρίθμησις ἐγένετο, ὑπὸ πλήθους καὶ καταφρονήσεως*". Pollio testis est magnum quoque numerum servorum tentoria custodientium Caesaris esse interfectos, quod iam supra vidimus a Lucano non memoratum esse. Caesar igitur praeter milites etiam servos fortasse intelligi voluit, ubi scribit Pompeium XV millia amisisse neque igitur tantopere a Pollione discrepat, quantum numerum apud eum memoratum legens, primo aspectu arbitrareris.

[1]) Momms. R. G. III. 426.
[2]) App. II. 82.

Quae dein Lucanus fingit a nullo scriptore traduntur. Caesar non is erat, iam saepius diximus, qui sanguime effuso delectaretur, qui libenter oculis campos sub clade lucentes lustraret, qui fortunam et superos suos in sanguine cerneret. Pro vero accipere rogum cadaveribus negatum esse victoris mores vetant; neque credere fas est Caesaris haud interfuisse tabesne cadavera an rogus solveret.

Tali studio occaecatum poëtam manifesto, paene dixerim cogitatò errore, finem pulcherrimi libri polluisse maxime dolendum est.

Liber octavus.

Pompeius nulla mora interposita fugere pergit. Nam sanguinem suum parvi non esse intelligit sibique persuasum habet vitam suam a Caesare tandidem aestimari quanti ipse cervicem inimici avulsam. Praeclara poëtae vox, qua luce clarius indicat, se re vera magnam clementiam heroï suo inesse minime putare.

Ecce heros, ab ineunte adolescentia Fortunae filius, nunc exsul, mox vitam amissurus, triste exemplum quo nobis verba Ovidii probantur [1]:

Scilicet ultima semper
Expectanda dies hominis dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

quae Lucanus his expressit:

Quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata? (32)

[1]) Metam. III. 135.

Navem ventis et fluctibus imparem conscendit, altumque petit ut Lesbum adeat, ubi Corneliae tutas latebras quaesiverat. Eam desiderio mariti flagrantem summaque eius sortis anxietate et sollicitudine pressam, tristia praesagia excruciant: somnus formidine et timore Pompeii expellitur; animi perturbatio eam ad littus propellit unde fluctus prospiciat: prima semper longe nutantia vela videt navium advenientium.

Sic navem quoque cernit qua maritus infelix vehitur. Ignorat quid ferat, sed malum nescio quid praesentit. Tandem ipse Pompeius nave egressus eam confirmat; fatis eam succumbere vetat eamque ob animi inconstantiam castigat. Illa tamen dolore capta semetipsam accusat: „cur impia nupsi carissimo viro, si miserum eum redditura fui?" In mare se praecipitare vult, ut poenas imprudentiae luat. Pompeii durum pectus ad lacrimas flectitur:

„siccaque Thessalia confundit lumina Lesbos." (108)

Tunc Mitylenenses Pompeium orant, ut urbem sacro foedere sibi devotam dignetur, in qua vel una nocte maneat, urbem claram celebremque reddet; cuncta saecula eam tunc revisent, hospes Romanus veniens adorabit. Tutus Pompeius erit: Caesar huc adpelli non poterit navibus deficientibus, quum magnam partem Pompeianarum huc coituram verisimile sit. Pompeius tamen abnuit, uxore insulae credita se iam ostendisse dicit, nullam regionem sibi totius orbis terrarum gratiorem esse: „hic mihi, inquit, Roma fuit."

Uxorem igitur navem concendere iubet, invitis civibus quos sibi Cornelia ob pudorem, probibatem, modestiam devinxerat. Incertus quam in regionem se convertat, Pompeius gubernatorem ad Thessaliam Italiamque adpellere vetat, quum ceterum navis cursum Fortunae committere iubet. Gubernator ei mori-

geratus cursum tenet Chium versus, quo turba senatorum fidelium ducem victum sequitur. Filius quoque Sextus adest, quum etiam reges socii exsulis comites veniunt. E quibus Pompeius Deiotarum mittit qui populos Asiae excitet: ne Parthorum quidem auxilium aspernatur:

„Pompeio vincite Parthi;
Vinci Roma volet!" (238)

Insignibus regiis positis libenter Pompeio morem obsequitur; is littora Asiae legit. Epheso, Samo, Coo, Cnido, Rhodo relictis Synedrae tandem ancoras iacit. Ibi Pompeius senatoribus in consilium convocatis animos comitibus addit; de consilio Parthorum auxilii acquirendi quid placeat exquirit; ipse ut secum ad Parthos gentesque Orientis proficiscantur suadet. Nam Aegypti regi num ob aetatem fidem haberi fas sit dubitat. Callidus enim Iuba, „proles impia Carthaginiensis" ei suspectus est, qui Ptolemaeum iuvenem ad proditionem adducere posset. Nulli regioni nisi Parthorum regno firmum auxilium praestandi facultas suppetet.

Cum Caesaris arma
Concurrant Medis, aut me Fortuna necesse est
Vindicet, aut Crassus. (327)

Murmure exorto statim dux omnes consilium suum damnasse sentit. Quorum omnium opinionem Lentulus vir consularis significat, gravissimis verbis Pompeium corripiens reprehensa agendi ratione, duce Romano indigna. „Num Parthus te, quem horruit auditu, quem reges ducere captos vidit, humilem et fractum videbit? Quid vulnera nostra — inquit — in Scythicos spargis et clades latentes?" Parthos se negotiis alienis immiscere non vult. „Num patiemur — ita pergit — Parthos ante clades suas vindicare, quam Romam suas? Praeterea Parthi a nullo hoste vinci possunt, dum in campis suis libertate fugae

fruuntur, ubi autem montes conscendi opus est debiles sunt, neque certo arcu utuntur. Quid? nonne sors uxoris Corneliae ad eiusmodi foedus repudiandum incitat? Barbara Venus nobis non ignota, per quam plurimas uxores ducere marito concessum est [1]).

Foedus inire cum Parthis Romano indignum esse, nemo non facile videbit. Ad Parthos eat is qui vicit, Caesar. Tantum abest, ut hostes patriae Lentulus socios reddi patiatur, ut exclamet:

Gens unica mundi est,
De qua Caesaris possim gaudere triumphis! (430)

Aegyptus meliorem occasionem praebebit. Ptolemaeus Lagus screptrum habet Magno ipsi debitum. Innocuus est propter pueritiam; fidem praestabit, nondum diuturno regno fidelem esse dedidicit."

His verbis sententia Magni victa est. Synedram linquunt, navibus Cypro arcessitis. Parum abfuit quin classis Pharum praetervecta esset, ita ut Aegypti littora non tetigisset, ubi necem sibi paratam reperturus esset Pompeius. Comperto regem in monte Cassio se tenere eo statim iter flectit.

Aulici adventu Pompeii cognito quid sibi faciendum sit deliberant. Anchoreus senex, memor necessitudinis quae defuncto patri cum Pompeio intercessisset, regi suadet ut Pompeium benigne et comiter accipiat. Eunuchus vero Pothinus plane contraria monet. Hic, qui hodie fautor Macchiavellisticae prudentiae summo iure appellaretur, homines fugiendos esse regem docet, quos Fortuna ipsa afflixerit. Dein, aula exeat, qui pius esse vult. Virtus cum summa potestate non coit: semper is metuat, quem saevitiae pudebit. Pompeius

[1]) Praeclare ad Pompeium dictum, qui Corneliam sextam uxorem duxerat!

(qui a Pothino „reus Thessaliae" vocatur), nunc miser est: neque eum iuvare opus est, neque id viri prudentis est. Colere enim felices, fugere miseros, callidi hominis est, nam „plures adorant solem orientem, quam occidentem", ut ipse Pompeius Cinnae dixisse a Plutarcho traditur. Quo consilio Pompeius venerit quum nesciat, utilius erit eum occidere. Eam tamen se comitari Pompeius vetat. Fortasse Ptolemâeum sceptro privare ei in animo est. Ad scelus perpetrandum Achillas quidam eligitur rege puero non resistente.

Pompeius interea vela ventis negarat et ratibus ad ancoram religatis littora petit nave remis acta. Eum contra navis Aegyptiaca approperat, in quam transire iubetur. Nulli comitum praesagia sceleris deerant. Cornelia quoque metuit neque marito deesse vult. Eam tamen se comitari Pompeius vetat. Transire parantem Pompeium de puppe Aegyptiaca miles Septimius salutat, qui antea Romanis sub aquilis militans, pilo posito nunc arma regia gestabat. Pompeius a suis divulsus, satellites regis ferrum stringentes videns, caput involvit: indignatus fortunae apertum caput praestare. Achillas latus ei perfodit, nullo gemitu Pompeii audito. Animi eius cogitationes Lucanus aperit, conqueritur enim Corneliam et filiam hanc caedem videre.

Cornelia non tam patiens ad scelus cernendum quam ad nefas perferendum, se perniciei fuisse marito incusat; sibi mortem consciscere conatur, quum existimet Caesarem iam ante Pompeium in Aegyptum advenisse, qui eum nunc interficiendum curet.

Verum ante Caesaris adventum Fortuna misericordia mota Pompeio tumulum parat. Quaestor Cordus iusta duci suo clam persolvit, corpus in rogum impositum comburit, cineresque humo mandat et, ne ventus reliquias terra conditas auferat,

saxo humilem tumulum premit. Inscripsit: „hic Magnus situs est", ne nauta, inscius quid saxum obtegat, religato fune bustum moveat. Sepulchrum tali quidem viro dignum non est, nullam enim mentionem facit rerum gestarum elogium, humilis tumulus cineres continet Magni, quod nisi monstratum Romanus hospes transibit, sed nihilominus Cordi pietati gratia habenda est, qui hoc officium servandum ratus, periculum non reformidavit.

Non immerito vetuit oraculum ne miles Romanus Aegyptum tangeret. Devota ac sacra illa regio sit: di omnia mala his terris dent! Aliquando tempus aderit, quo gratissimi cives, memores rerum praeclare gestarum, Pompeii cineres Romam transportaturi sunt, tunc nemo credet virum magnum sordido illo modo humatum, per longos annos oblivione obrutum iacuisse.

Pompeium nave vectum esse *εἰς Μιτυλήνην, βουλόμενον τὴν Κορνηλίαν ἀναλαβεῖν καὶ τὸν υἱόν*, Plutarchus testis est [1]). Idem narrat eum per nuntium uxorem adventus sui certiorem fecisse a quibus paulisper Lucanus elegantiae poeticae gratia discessit. Cetera tamen Plutarchus paene ipsis verbis tradit: Ἡ *δὲ ἀκούσασα* (cladem a marito acceptam) *προήκατο μὲν αὑτὴν χαμᾶζε καὶ πολὺν χρόνον ἔκφρων καὶ ἄναυδος ἔκειτο.* Quum primum se recepisset Pompeium adiisse ab eodem scriptore narratur ac dixisse: *Ὁρῶ σε, ἄνερ, οὐ τῆς σῆς τύχης ἔργον, ἀλλὰ τῆς ἐμῆς.* Videmus eadem quae copiosius Lucanus refert. Quod autem Cornelia dicit se Pompeio perniciei fuisse, quia antea Crassi uxor fuerit, Scholiasta nos monet [2]) Lucanum hic Livii auctorita-

---

[1]) Pomp. 74.
[2]) Schol. Bern. pg. 259.

te usum esse. Adnotat enim: „Poëta hunc locum de Livio tulit, qui Corneliam dicit dixisse Pompeio, *vicit, Magne, felicitatem tuam mea fortuna; quid enim ex funesta Crassorum domo recipiebas, nisi ut minueretur magnitudo tua.*"

Pompeium in Asiam fugisse et Florus et Orosius narrant. Obiter Florus dicit Pompeio in Parthos se conferre in animo fuisse, quod consilium Syedris (ita enim Florus nominat) cum comitibus communicaverit. Quod Lucanum pluribus edisseruisse infra videbimus.

In Livii Periocha CXII vix Pompeii fuga memoratur: tantum victus Egyptum petiisse dicitur.

Dio Cassius et Appianus nihil dicunt nisi: *ἐς Μιτυλήνην διέπλευσεν· ὅθεν τὴν γυναῖκα Κορνηλίαν ἀναλαβὼν, Κερκύρας μὲν καὶ τότε καὶ Λιβύης ὑπερεῖδεν.* [1]) A Plutarcho docemur [2]) Pompeium hospitalitatem sibi oblatam abnuisse: *τῶν δὲ Μιτυληναίων τὸν Πομπήιον ἀσπασαμένων καὶ παρακαλούντων εἰσελθεῖν εἰς τὴν πόλιν, οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλὰ κἀκείνους ἐκέλευσε τῷ κρατοῦντι πείθεσθαι καὶ θαρρεῖν.* Gloria igitur Pompeii hospitio accepti carere debebant quasi hac dubia gloria urbi opus esset, quae Pittaco, quae Alcaeo quae Sappho denique patria fuit!

Quae apud Appianum et Dionem Cassium [3]) de ultimo Pompei vitae tempore narrantur, deprompta esse videntur ex eodem fonte ex quo et Plutarchus sua hausit. Appianus enim cum Lucano et Floro congruens Pompeium narrat Mitylenis uxorem Corneliam adsumsisse, atque inde in Orientem ad Parthorum regem contendere maluisse. Appianus easdem referens causas,

---

[1]) B. C. II. 83.
[2]) Pomp. 75.
[3]) B. C. XLII. 2—4.

quas Lucanus affert, cur comites hoc inceptum homine Romano indignum ei dissuaserint, se eodem fonte usum esse quo poëtam ostendit. Manifestus enim per totam narrationem consensus. Fortasse Appianus ex Theophanis historia hausit, quem res a Pompeio gestas descripsisse notum est, quique etiam Livio historias scribenti fons esse potuit, unde Lucanus sua peteret. Sed et Cassius Dio prorsus eadem quae Appianus et Lucanus narrat neque ulla ratione discrepat. Num igitur temeritate accusandi sumus, ubi eos Livium secutos esse statuimus, quandoquidem maximum consensum inter eos atque Florum, fidelem Livii imitatorem intercedere videmus?

Constat etiam Pompeianos in Asiam Minorem paullatim coiisse. Deiotarum in hoc numero acceptum fuisse, Plutarchus dicit: *καὶ μικρὸν ὕστερον ἰδόντες ἀπὸ γῆς ἁμιλλώμενον Δηιόταρον τὸν βασιλέα προραναλαμβάνουσιν* [1]). Sitne ei a Pompeio mandatum, quod Lucanus narrat, incertum est. Sextum vero filium se patri iam Lesbi, neque postea, iunxisse ex loco Dionis Cassii verisimile est [2]).

Quem locum deinde Lucanus nominat quo Lesbo relicta se contulerint, ubi deliberarent, is apud poëtam perverse fortasse Synedra vocatur. Plutarchus Attaleiam appellat [3]), quum Appianus nulla urbe nominatim dicta regionem Ciliciam indicet [4]). Florum Syedras eundem vocasse iam vidimus.

Historiarum scriptores ipsi dissentiunt, quid in consilio a Pompeio convocato actum sit, quam quisque sententiam protulerit. Dio Cassius, non probabile ratus Pompeium se

---

[1]) Pomp. 73.
[2]) B. C. XLII. 2.
[3]) Pomp. 76.
[4]) B. C. II. 83.

ad Parthos conferre voluisse, a Lucano dissentit. Appianus autem et Plutarchus eadem quae Lucanus narrant. Caesar praetera dicit [1]), Pompeium consilium Syriae adeundae ipsum deposuisse, quum regio illa eum excluderet. E quibus sequitur potestate navem adpellendi sublata Pompeius Aegyptum vi ac rebus coactum petivisse. Cunctorum sententiam Aegypti adeundae Lucanus Lentulo tribuit, quam Plutarchus a Theophane ex insula Lesbo apertam esse scribit. Velleius Paterculus tantum dicit [2]) alios Pompeio suasisse ut Parthos, alios ut Africam peteret, in qua fidelissimum partium suarum fautorem regem Iubam haberet; ipsum autem Aegyptum petere proposuisse. Iuvat hic paucis Lucani verba attingere, quibus Iuba Carthaginiensium sanguine coniunctus esse dicitur. Adnotat Scholiasta [3]): „Iuba enim ex filia Asdrubalis, consanguinei Annabalis originem trahere dicitur, quae Syphaci coniuncta erat, ut auxilium illi adversus Scipionem daret." Iuba enim nepos esse traditur infelicis illius Hiempsalis, qui a Iugurtha interfectus est.

De regione eligenda, in quam se collaturi sint, maximam inter duces dissensionem ortam esse videmus. Ceterum inter omnes scriptores constat Pompeium per Cyprum in Aegyptum vectum esse.

Non Pothinum, sed rhetorem Theodotum Appianus auctorem consilii Pompeium interficiendi nominat Anchorei vero nomen non invenimus, qui Lucano auctore ut Pompeius benigne ac comiter acciperetur suaserat: *ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τρισκαίδεκα ἔτη μάλιστα γεγονώς· ἐπετρόπευον δ' αὐτῷ τὴν μὲν στρατιὰν Ἀχιλλᾶς,*

---

1) B. C. III. 102. 103.
2) H. R. II. 53.
3) Schol. pg. 266.

τὰ δὲ χρήματα Ποθεινὸς εὐνοῦχος· οἳ βουλὴν προὐτίθεντο περὶ τοῦ Πομπηίου. καὶ παρὼν ὁ Σάμιος Θεόδοτος ὁ ῥήτωρ διδάσκαλος ὢν τοῦ παιδὸς, ἀθέμιστον ἐσηγεῖτο ἔργον, ἐνεδρεῦσαι καὶ κτεῖναι Πομπήιον ὡς χαριουμένους Καίσαρι [1]), quam proditionis causam apud Lucanum Pothinus profert, dicens: „cole felices, miseros fuge." Fere eadem Plutarchus nos docet.

Nulla dissensio inter alios historiarum scriptores et Lucanum oritur, ubi caedis auctores nominant. In Livii Periocha Pompeius iussu Ptolemaei regis pupilli sui, auctoribus Theodoto praeceptore, cuius magna apud regem auctoritas erat, et Pothino occisus esse dicitur ab Achilla, cui id facinus delegatum erat, in navicula antequam in terram exiit. Florus scribit: „Pompeius imperio vilissimi regis consiliis spadonum et ne quid malis deesset, Septimii desertoris sui gladio trucidatus sub oculis uxoris moreretur." Fere idem Orosius dicit.

Videmus autem Florum, ceteroquin fidelem Livii imitatorem, ab eo discrepare, ubi caedis auctorem Septimium esse indicat; cum Floro consentiunt Appianus, Dio Cassius, Plutarchus, cuius paene ipsis verbis Appianus utitur. Cum Livio congruit Lucanus, qui Achillam nominat. Caesar in medio se tenet referens: „ibi ab Achilla et Septimio interficitur." Quum autem rursus Dionem Cassium auctorem Pompeianum secutum esse ex sequentibus non temere statuere liceat, eumque in ceteris cum Livio consentire, concludere audemus, omnes auctores praeter Caesarem, Livianam narrationem secutos esse. Iam antiquitus non facile decerni potuit, quis primus Pompeio vulnus inflixerit, quum hic fortasse sibi laudem facinoris perpetrati sumeret, alter honorem dubium denegaret, quia Roma-

---

1) App. B. C. II. 84.

nus sibi dedecori duceret, civem Romanum mercede conductum interfecisse. Fortasse caedem apud Caesarem infitiando se scelere purgare conati sunt, quum ira atque dolore eum motum viderent. Iam antiquis itaque temporibus hanc rem confusam esse intelligimus.

A Plutarcho narratur Pompeius salutatus esse antequam in navem Aegyptiacam transiret [1]): „ὁ Σεπτίμιος ἐξανέστη καὶ Ῥωμαϊστὶ τὸν Πομπήιον αὐτοκράτορα προσηγόρευσεν." Apud Appianum Pompeius fertur ἐπιγιγνώσκων Ῥωμαῖον ὄντα καὶ ἐστρατευομένον ἑαυτῷ Septimium allocutus esse his verbis: „ἆρά σε γιγνώσκω, συστρατιῶτα"; Caedem ipsam perpetratam esse in conspectu Corneliae et Sexti filii licet auctores, praeter Florum, ipsis verbis non dicant, cum probabilate non pugnat, quum omnes scripserint et uxorem et amicos ducem periculo obviam euntem retinere frustra conatos esse. Quum Plutarchus, tum Appianus memorant verba Sophoclis, quae ultima ad uxorem locutus est iamiam moriturus:

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύετκι,
Κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ,

quorum verborum Lucanus, quod satis mirari vix possis, mentionem non facit.

Quae coniugibus separatis facta esse a Lucano traduntur, ingenio poëtico debemus: neque enim Corneliae conatum sibi manus afferendi apud quemquam memoratum reperimus; neque Pompeii cogitationes apud historiarum scriptores legimus, quippe quas nemo exaudire potuerit.

Ad historiam redit, quum caput a corpore divulsum esse narrat. Hoc caput Caesari, antequam is ad Aegyptum adpulsus

---

[1]) Pomp. 78.

est, Theodotus cum annulo signatorio Pompeii attulit teste Plutarcho [1]): „Εἰς δὲ Ἀλεξάνδρειαν ἐπὶ Πομπηίῳ τεθνηκότι καταχθεὶς Θεόδοτον μὲν ἀπεστράφη τὴν Πομπηίου κεφαλὴν προσφέροντα, τὴν δὲ σφραγῖδα δεξάμενος τοῦ ἀνδρὸς κατεδάκρυσεν." Corpus inhumatum iacuisse constat: tandem a Philippo liberto, a veterano quodam adiuto, terra tectum esse Plutarchus refert, qui nomine Cordo non utitur, quod Lucanus fideli heroïs amico imposuit. Caput autem hastae praefixum per urbem circumlatum esse, aliis praeter poëtam nostrum notum non est. Regem caput arte medicasse verisimile est; quod autem pro vero accipere minime opus est. Pompeius enim a. d. IV. Kal. Oct. occisus est, „am Tage — Mommsen inquit [2]) — vor seinem 58en Geburtstage, an demselben Tage an dem er dreizehn Jahre zuvor über Mithridates triumphirend in die Hauptstadt eingezogen war"; — Caesar ineunte mense Octobri ad Aegyptum appulit; iam antequam in terram exiit, ei Theodotus donum cruentum necopinanti obtulit. Pauci dies igitur intercesserant, quibus vix fieri potu ut caput divulsum putresceret. Ad summam rem sane nihil pertinet.

Facile intelligimus singula quaeque, quae facta esse narrantur, quum heroïs corpus combureretur, a poëta plane ficta esse. Sic etiam ultimos libri versus ad historiam ipsam non referendos esse nemo non facile videbit, in quibus poëta ira commotus omnia mala Aegypto imprecatur, quae regio bustum sacrum quamvis sordidum Magni complexa, tamen non digna ab eo habetur, quae talis viri sepulcrum sibi commissum aspiciat.

---

[1]) Caes. 48. Pomp. 80. ubi paene iisdem verbis idem narratur.
[2]) R. G. III. 435. Confer Fisscher Röm. Zeittaf. pg. 278.

Liber nonus.

Cuius libri iam argumentum descripturi sumus, is aliis omnibus posthabitis fere solam historiam Catonis continet, laboresque depingit, quos in Africa subiit ac mira constantia et virtute sustinuit.

Pauca vero poëta praemittit, quibus narret, quo modo anima Pompeii, busto relicto ad piorum sedes evolaverit, quem Lucanus, Platonicos secutus inter terram lunamque posuit. [1]) Inde vidit mundum, quantaque sub nocte iaceret, risit ludibria corpori suo illata atque amicorum animos ne a virtute et patientia desisterent, confirmavit et auxit.

Cato, qui bello civili exorto partibus Pompeii favebat, licet revera nullarum partium esset, sed libertatem tueri sibi proposuisset, post pugnam Pharsalicam statim toto pectore Pompeianus erat: patriae causam tutorem desiderantis suscepit, ignavis animum addidit, Pompeii partes sibi depoposcit hoc discrimine servato, quod regnum non affectans bellum civile gessit. Reliquias copiarum huc atque illuc fusas collegit et Corcyram insulam petivit, unde in Africam traiicere instituit. Quo facto Phycunte deleta quae urbs classi portus praecludere ausa est, classem Pompeianam deprehendit ad Palinurum, non illud promontorium, quod, nomen abAenaeae gubernatore ducens, in Mare Tyrrhenum prominet, sed in littore

[1]) Confer Macrobius Somn. Scip. I. pg. 57. Ed. Bip. „Immutabilem quidem mundi partem a sphaera, quae aplanes dicitur, usque ad globi lunaris exordium, mutabilem vero a luna ad terras usque dixerunt; et vivere animas dum in immutabili parte consistunt, mori autem cum ad partem ceciderunt permutationis capacem; atque ideo inter lunam terrasque locum mortis et inferorum vocari."

Libyae situm; nam Palinurus non tantum in Lucania nomen suum promontorio dedit:

neque enim aequore tantum
Ausonio monumenta tenes portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magister.

Cornelia enim nece mariti visa primo ab Aegypto abire noluerat; tandem precibus Sexti privigni exorata consilium ceperat maritum lugendi: Ima nave delitiscentem neque fluctus neque procella movere potuerat. Classis primum ad Cyprum appellitur, unde ventis in Libyam acta in Catonen classemque eius incidunt.

Gnaeus Pompeius, cui perverse poëta nomen Magni imposuit (quod quidem vitium paucis versibus post iterum admisit), a fratre Sexto de morte patris edoctus statim Aegyptum aggredi vult, ut patrem occisum vindicet, at Cato iram laude quidem dignam compescens eum retinet.

Funus dein Pompeii exemplo carens exsequitur, numquam luctus tantus visus erat: numquam tales planctus per aethera sonuerant. Cornelia in littus egressa mariti vestes comburit cum armis insignibusque quae gestarat, ut loco corporis essent. Licet mortui corpus deficiat, tamen funus ritu legitimo celebratur. Cato laudationem funebrem habet, qua Pompeii virtutes ad coelum efferuntur; potens vocatur salva libertate, qui amatus pacem amaret, quem aeque sumpta ac dimissa potestas iuvaret. Non Pompeius is erat qui in soceri regno vivere potuisset; felix igitur vocetur quod ceciderit, licet proditione hoc ei contigerit.

Scire mori sors prima viris, sed proxima: cogi.

quibus verbis Cato significat mortem suam instantem.

Milites duce interfecto in bello perseverare nolunt. Cilicum manum aufugientium Cato classe secutus deprehendit: Catoni

causam fugae significant: amor Pompeii eos arma capere impulerat, non belli civilis. Pompeio interfecto causa eorum iacet. Aut domum igitur abire volunt, aut quae consul Romanus signa habet, ea sequi optant. Cato indignabundus eos oratione retinet animum atque pudorem movens. Ne iterum otiosi talia secum reputare possint, Cyraenaeorum oppidis expugnandis eos bello esse occupatos curat. Dein consilium Cato Iubae regni petendi capit et per Syrtes, quas Lucanus describit, nave vehitur. Maxima tempestate orta multisque navibus alio delatis ipse in terram egressus cum militibus, quos secum habet, per desertum iter facere instituit. Morae enim impatiens per arenas ire mavult, quam maris periculis iterum obviam ire. „De calcaria autem in carbonariam pervenit." Haud minora vel fortasse multo graviora incommoda iter facientibus perpetienda sunt. Calor vix tolerandus erat, nulli fontes inveniuntur quorum aqua sitim explere possint, arenae ventis tolluntur, et numquam resoluto vertice pendent, quum milites vi arenarum obruuntur. Cato tamen constantia atque animi fortitudine sibi milites magis magisque devincit. Animos eorum auget exemplo. Unum specimen Lucanus affert, quod etiam de Alexandro Magno narratur, quem ad modum plura a Lucano tradita apud scriptores rerum Alexandri Magni historiam describentes inveniuntur. Miles quum aquam forte inventam Catoni porrigeret, is abnuens sibi porrectam galeam bibere negavit dicens: „Mene solum in hoc exercitu virtute vacuum putasti, qui aliis sitientibus bibam?" iraque concitus galeam excussit. [1])

Ad Iovis Hammonis Oraculum veniunt, quod ut consultent

---

[1]) Confer Curt. Hist. Alex. VII. 5. 12. „Nec solus bibere sustineo, nec tam exiguum dividere omnibus possum."

Labienus hortatur. At Cato non opus esse ait ei qui sciat viro strenuo fortiter moriendum esse. Quidnam a Iove sibi rogandum esset Cato quaerit,

„dubiis oraculo opus est,

„Iupiter est quodcunque vides, quocunque moveris",

dicit, ut Stoïcus Posidonius qui docet: *„θεός ἐστι πνεῦμα νοερὸν διῆκον δ' ἁπάσης οὐσίας"*: quem Seneca secutus: „Quid est deus? Quod vides". [1])

Praeeunte Catone iter facere pergunt, exemplo ducis edocti quomodo labores tolerare debeant. Sed maius malum quam calor et sitis exstitit, magna enim copia serpentium iter infestat. Unde tantus in Africam numerus venerit, poëta rogat, roganti ipse respondet, Perseum Gorgoni caput abscidisse, angues deinde per aëra super Libyam volasse, ubi ex cruore Gorgonis destillante natos esse. Per haec immania et horrorem moventia animalia, Cato cum commilitonibus iter facit, quorum plurimi a serpentibus interempti acerbae ac atroci morti succumbunt. Lucanus foeda depingit, tristissimis coloribus utitur, quo maximos labores et difficultates fere inexplicabiles doceat, quibuscum Catoni pugnandum esset.

Numquam militibus quietem vehementer optatam capere licet, semper enim serpentes sub cubili latentes iis timendi sunt. Querelae quidem audiuntur, quas autem Cato patientia sua atque summa virtute exonerat, in nuda arena excubat atque Fortunam omni hora provocat, quocumque vocatur advolat. Una tantum gens innoxia a serpentium letali morsu. Hi sunt Psylli; natura locorum, quos habitant effecit, ut mixti serpentibus immunes sint. Tanta fiducia iis sanguinis est, ut laeti fera

---

[1]) Senec. Nat. Quaest. pg. 269.

aspide dubios partus explorent. Quibus iuvantibus Cato milites a serpentibus defendit. Psylli ore venenum ex vulneribus exsugunt et cuius anguis morsus fuerit vel gustu noverunt.

Duos dies Cato desertum pervagabatur, duos dies terribiliores quam qui vere describerentur. Quantum itaque gaudium miseri perceperint, quum primum leones viderent, quibus senserint se regionibus periculi plenis evasisse, facile ab unoquoque intelligetur. Septi, quae urbs arenis proxima erat, hiemem degerunt.

Caesar interea Graecia relicta Pompeii vestigia premens Sigaeum quoque pervenit. Troiam urbem investigat, sed ruinae ipsae periere. Omnia tamen monumenta invenit, vel potius loca ubi celeberrima quaeque facta sint se docendum curat: securus per altum gramen vadens paene Hectoris sepulcrum pedibus impositis violasset, quod a poëta haec verba elicit:

O Sacer et magnus ratum labor, omnia fato
Eripis, et populis donas mortalibus aevum.
Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae:
Nam si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnaei durabunt vatis honoris,
Venturi me teque legent: Pharsalia nostra
Vivet et a nullo tenebris damnabimur aevo.

Caesar sacris factis et imprimis Minerva invocata in Aegyptum vela dat, quae Pharo lucem praebente in conspectum eius venit octava nocte, postquam ex Asia solvit. Prima vero luce in terram egredi ausus non est, quia incertum erat incolae utrum benevolis animis essent annon. Dubiis regnis se credere veritus rates tellure abstinuit. Mox autem foedum in modum Caesar cogniturus erat, Aegyptum sibi propensum esse. Rex enim Ptolemaeus ei caput adversarii tenui tectum velamine dono afferri iussit, maximum atque gratissimum munus

fore ratus, quum Caesare absente bellum civile peractum esse significet. Non primo aspectu Caesar a Lucano donum damnasse dicitur, neque avertisse oculos, credere non ausus; quum autem pro certo sciret, id verum esse cui primum fidem vix habuisset, tutum putavit bonum esse socerum; lacrimas non sua sponte prorumpentes effudit et gemitus pectore laeto expressit. Ipsam autem laetitiae suspicionem evitans exprobrat regi quod sibi facultas adversario parcendi erepta esset. Veniam tamen huius caedis ea lege se daturum esse dicit, ut rex capiti iusta solvat et cineres fusos in littore colligat.

Quamvis astute et callide Caesar partes lugentis agat, populus eius maerori fidem non habet; comitem fletus non invenit, laeta pectora fronte tegunt et hilares nefas cruentum, ubi Caesar dolore simulato luget, spectare audent.

Catonem clade ad Pharsalum accepta reliquias copiarum huc atque illuc sparsas collegisse, et apud Plutarchum legimus, qui eodem loco Catonem se Corcyram contulisse testis est [1]). Inde in Africam eum traiecisse constat. „Die grosse Maiorität der Republikaner — ita scribit Mommsen [2]) — wie der Pompeianer wandte sich nach Africa, wo allein noch ein ehrenhafter und verfassungsmässiger Kampf gegen den Usurpator möglich war". Eo convenisse Metellum Scipionem, Gnaeum Sextumque Pompeios, Labienum, Afranium, Petreium apud historiarum scriptores unanimo consensu reperimus. Neque Gnaei Pompeii iram caede patris concitam, qua accensus statim Aegyptum aggredi cuperet, neque funus in littore Aegyp-

---

[1]) Cat. Min. LV.
[2]) R. G. III. 446.

tiaco celebratum ab historiarum auctoribus memoriae tradita invenimus. Ubi autem Lucanus vehementer a Catone increpatos Cilices describit, eosque Ptolemaei munus vocat, historiam sequitur, qua docemur reliquias copiarum eo tralatas et simul hanc ob rem servatas esse sexaginta navibus, quas rex Aegypti et soror Cleopatra Appiano teste Pompeio dono miserunt: *λέγονται δὲ καὶ ἀπ' Αἰγύπτου νῆες ἑξήκοντα αὐτῷ* (Pompeio) *παραγενέσθαι παρὰ τῶν Αἰγύπτου βασιλέως, Κλεωπάτρας τε καὶ τοῦ ἀδελφοῦ παιδὸς ἔτι ὄντος* [1])." Ne milites iterum rebellarent Catonem eos rem militarem aggredi iussisse atque oppida Cyrenaica expugnasse Lucanus tradit, quum Plutarchus hanc rem referens, non Catonem, sed Labienum urbe Phycunte exclusum esse tradit; Catonem vero paullo post, benigne acceptum esse narrat.

Duo tantum scriptores itineris molesti et laboriosi a Catone per deserta confecti mentionem faciunt. Velleius Paterculus refert Catonem copias Pompeianorum auxisse perductis ad eos legionibus, „ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia" [2]). Plutarchi testimoniis haec confirmantur. Verisimile est Plutarchum ex eodem fonte hausisse quo Lucanum, quum multis in rebus congruant, in primis ubi Psyllos eorumque vitae rationem describunt [3]). Pro certo autem nihil affirmari potest, quoniam nulla nobis alia litterarum monumenta supersunt, quibus inter se comparatis opinionem probemus. Florus enim, ut hunc unum nominem, nihil de Catone tradit nisi haec: „At in Africa

---

1) B. C. II. 71. Conf. Caes. B. C. III, 3.
2) H. R. II. 54. 3.
3) B. Cat. min. LVI. *οἱ τὰ τε δήγματα τῶν θηρίων ἰῶνται τοῖς στόμασιν ἕλκοντες τὸν ἰὸν, αὐτά τε τὰ θηρία κατεπᾴδοντες ἀμβλύνουσι καὶ κηλοῦσιν.*

cum civibus multo atrocius bellum quam in Pharsalia. Hic reliquias partium naufragarum quidam fugae aestus expulerat; nec reliquias diceres, sed integrum bellum." Nullam vides mentionem factam itineris per deserta. Livium autem hanc rem tractavisse ex Velleio Paterculo apparet, est quem sedulum Livii imitatorem hanc narrationem apud eum legisse suspicor.

Catonem Septis accepit, urbs inter duas Syrtes sita, ubi Lucanus eum relinquit, nulla eius mentione dein facta, neque vim post pugnam apud Thapsum ei allatam commemorans.

Caesar Pompeium persecutus est et Troiam visit, vel potius rudera urbis illius, cuius etiam parietinae perierant dumetis tectae. Sic Lucanus fingit, exemplum auctorum secutus, qui Alexandrum Troiam visentem describunt. Cato per deserta iter faciens, Alexandri poëtam admonuerat huiusque constantiam sitis omniumque laborum patientem, in heroëm suum suum translatam esse nemo non facile intelligit. Sic etiam facultatem oblatam Troiae visendae praetermittere non vult, praesertim quum poëtae occasio detur sibi ipsi immortalitatem merito tributam vaticinandi. „Dum enim — inquit — Homeri laudes dicuntur, carminaque eius leguntur homines venturi, me quoque noverint Pharsaliamque legent:

Pharsalia nostra
Vivet et a nullo tenebris damnabimur aevo (986).

In fine libri noni poëta historia duce adhibita Caesarem in Aegyptum sequitur. Legimus eum capite generi sibi allato haudquaquam commotum esse, vel potius etiam gaudium percepisse. Contrarium omnes historiarum auctores affirmant. Re vera Caesarem commotum esse testes graves sunt, neque, ut Lucanus, contendunt eum dolorem simulasse quo laetitiam occuleret. Etiam Livius, qui a partibus Pompeianis stare solet, tradit Caesarem, quum ei Theodotus caput Pompeii et annu-

lum obtulisset, offenso animo illacrimasse. Idem Orosius refert Livium sine dubio secutus. Et audiamus Dionem Cassium, quem Livii auctoritate usum esse verisimile est. „ὁ δ' οὖν Καῖσαρ τὴν τοῦ Πομπηίου κεφαλὴν ἰδὼν κατεδάκρυσε καὶ κατωλοφύρατο, πολίτην τε αὐτὸν καὶ γαμβρὸν ὀνομάζων καὶ πάνθ' ὅσα ποτὲ ἀλλήλοις ἀνθυπουργήκεσαν ἀναριθμούμενος, τοῖς τε ἀποκτείνασιν αὐτὸν οὐχ' ὅπως εὐεργεσίαν τινὰ ὀφείλειν ἔφη, ἀλλὰ καὶ ἐπεκάλει καὶ ἐκείνην κοσμῆσαι τε καὶ εὐθετῆσαι καὶ θάψαι τισὶν ἐκέλευσεν." Et Plutarchus confirmat Caesarem lacrimas fudisse, quas simulatas ac falsas fuisse Lucano teste accipere fas non est. Usus enim verbis inanibus:

Quisquis te flere coëgit
Impetus, a vera longe pietate recessit,

nobis fictum Caesaris animum non potuit probare, quum magniloquis his verbis nos decipi non patiamur.

Quum ex aliis libris satis constet, Lucanum maximam partem Livium secutum esse, nulla causa esse videtur, cur hoc non fecisset in hoc libro scribendo, licet nullo testimonio opinio nostra confirmetur. Nam Plutarchum Livio fonte usum esse, in narrandis iis quae cum Lucano congruant, non satis nobis constat. Sed eo magis mirandum est Lucanum eo usque odio atque studio indulsisse, ut ab auctore suo discedat, qui, etsi minime Caesari favens, tamen dolorem eius atque animi perturbationem falsa fictaque fuisse non scripsit.

Ubi Lucanus nuntio exprobrat mortem Pompeii, qua caede sibi dicit adversario parcendi facultatem ereptum esse, poëta oratione ironiae plena utitur, quam tamen nos pro vera accipere iuvat. Nonnulla enim exempla animi magnitudinis Caesar ediderat. Neque apud quemquam scriptorem invenimus populum Caesaris tristitiae credere negasse: Pompeianae partis nimium studiosus non verisimilia pro veris probare conatus, plus aequo lectores suspiciosos redit. Propria culpa effecit, ut hac saltem in re severiores quam par sit iudices nos praebeamus.

Liber decimus.

Iam ad finem operis accedimus, ad librum ultimum, quem poëtae morte praematura abrepto perficere non licuit.

Lucanus hoc libro Caesarem res Aegyptiacas constituentem describere voluit, quod propositum autem non exsecutus est, quia medio in opere ira Neronis oppressus fato succubuit. Rerum tamen primo adventu Caesaris gestarum mentionem facit. Caesari navem egresso hoc sine ullo periculo factum non esse narrat. Inter populum enim dubiae fidei intrepide versari debebat, quum semper periclitaretur ne rebus alienis se immiscentem vulgus a primoribus instigatum perfide occideret, quippe qui in Pompeio interficiendo cruenti animi exemplum dedissent. Sed Manes generi Caesari profuerunt.

Postquam victor Alexandriam ingressus populi audacter in conspectum venit, suique copiam dedit celante timorem vultu, cupiditatem Alexandri Magni sepulchrum visendi explevit, ubi felix praedo, quo nomine eum poëta honorat, quiescit ex ingenti labore, quo maximam orbis terrarum partem sibi subegerat.

Rex interea partibus Manium susceptis populi iram sedaverat. Cleopatra autem regina, forma superbiens cuique pauci

viri resistere possent, elata conscientia „esse aliquid nupisse regi, regis esse sororem" [1]), Caesarem adiit corrupto custode, ut catenas laxaret quibus portus claudebantur. Ducis animum mulier forma confisa delenivit: „victor tot gentium blanditiis feminae victus" precibus reginae captus cum Cleopatra infandam noctem exegit. Proh pudor! Magni oblitus, tibi Iulia, fratres de matre obscoena dedit! Pax igitur hoc foedere empta donis ingentibus confirmata est. Epulis opiparis pacem celebrarunt, quibus luxus nondum Romam tralatus ostenditur [2]). Caesar, ut noctem colloquiis producat, Anchoreum Isidis vatem interrogat de moribus populi Aegyptiaci deque natura regionis doceri cupiens: semper enim inter bella gerenda se de siderum motu cogitavisse dicit, atque de Fastis corrigendis. Anchoreus Caesari morem gerens eum de Nilo stagnante edocet, deque fluminis fontibus narrat, quos iam Alexandrum Magnum investigare frustra conatus esset. Cambyses quoque inexplorato Nilo redire debuerat [3]) quia „operam et oleum perdidere, qui caput Nili quaerere voluerunt", unde proverbium ortum perspicuum est.

Talibus securus aures praebens Caesar non sentit, qualis sibi a proditore Pothino pernicies struatur. Is enim Magno perempto iam satis factum esse non arbitratur. Sed patriam ab altero insidiatore liberare cogitanti dii facultatem sceleris perpetrandi non concesserunt: Bruto Caesaris caput servari in fatis erat. Ad Achillam socium Pompeianae caedis a servis ferri iubet; convenit inter eos aliquid faciendum esse, de salute patriae

---

[1]) Ovid. Fast. VI. 27 de Iunone: „Est aliquid nupsisse Iovi, Iovis esse sororem".

[2]) Conf. Athen. VI. pg. 229. C.

[3]) Cf. Herod. III 17. et. 23.

nempe agitur; nam regina adultera in eo est, ut patriam Romano victori tradat. Optimum fore Pothinus ait tumultu subito bellum moliri atque Cleopatram in ipso amplexu Caesaris occidere; Caesar ipse occisus hoc praestare poterit, ut nocentibus caede Pompeii populus Romanus ignoscat.

Tu parce — inquit — morari,
Plenum epulis madidumque vino Venerique paratum,
Invenies; aude, superi [1]) tot vota Catonum
Brutorumque tibi tribuent.

Achillas suadenti obsequitur. Clam milites armari iubet, quorum maxima pars plebs Latiae a poëta vocatur, quos non puduit servo duci obedire oblitos nominis Romani. Omnia ad bellum parata sunt, sed metuunt ne media nocte tumultus et Ptolemaeum regem trahat; visum igitur scelus differre et una iam nox auctori caedis datur.

Morae autem milites piget. Prima luce in urbem contendunt. Caesar ipsis moenibus urbis diffisus se in intimam aulam recipit. Quem non Galli bellicosi terruerant, non Romani ipsi cum Pompeio iuncti, nunc servilis manus metu implet. Quocumque se recepit, regem Ptolemaeum semper secum trahit, qui vita sua tutelae ei sit, si periculum ei imminebit. Cogunt tamen res ipsae spem pacis tentare, nuntius mittitur qui roget, quo auctore bellum moveant, quidnam sibi velint. Participes vero seditionis pergunt, arcem ipsam oppugnant navibis adhibitis, tela iam in domum cadunt, quorum vi regia quassatur.

Mirum in modum hic apud Lucanum verbum invenimus, quod a sua via deerrasse paene crediderimus, quum Caesaris

---

[1]) An forte cum Weber *superos* legendum?

virtutem praedicet, quam aestimationem nondum apud poëtam repereramus. Caesar tandem e latebris prodit et fortem se defensorem praebet: hos aditu gladiis, ignibus alios arcet. Naves incendere conatur, quod tam bene ei succedit, ut non tantum naves semustae in aequore mergantur, sed etiam vicina mari aedificia ignis rapiat. Quum ne arcem ipsam ignis comprehenderet timendum esset, Caesar noctis tenebris tectus carinae insiluit, qua avectus periculo imminenti se subtraxit.

Auctores seditionis poenas meritas sceleris solverunt. Pothinus eodem modo quo Pompeium interficiendum curaverat, interfectus est. Arsinoë filia minor natu Ptolemaei Auletae, a servo Ganymede servata, Achillam ferro transfixit. Iam secundum quidem Pompeii piaculum iacet; tamen Fortunae satis non est: dum Caesar ipse ultrice pugione ictus non est, Magnus inultus erit.

In exigua molis spatio inclusum poëta Caesarem in ipso periculo reliquit. Librum decimum Lucanus non absolvit. Quem ad finem poëta opus suum perducere in animo fuerit incertum est. Sunt qui Caesaris caedem metam sibi proposuisse Lucanum putent [1]); sunt qui pugnam navalem ad Actium existiment [2]), quod quidem propositum effecisset, ut opus maius poëta inchoasset, quam quod eum absoluturum probabile esset. Denique sunt, qui proelium apud Philippos poëmatis futurum fuisse finem, arbitrentur. [3]) Bruto Cassioque victis libertas vera succubuit: res publica apud Pharsalum labefacta apud Philippos confecta est. Etsi

---

1) F. Jacobs.
2) Dr. F. H. Rothe. Lucanus: Stuttg. 1855.
3) Weber.

igitur fieri potest, ut ad huius pugnae descriptionem opus suum extendere poëtae in animo fuerit, tamen hoc propositum eum exsecutum esse haud crediderim.

Locuples Caesar ipse testis exstitit rerum statim post Pompeii caedem in Aegypto actarum, cui autem non temere credendum est, ut mox apparebit. Sibi populum propensum non fuisse ipse narrat, [1]) e nave enim egrediens clamorem militum audivit, quos rex in oppido praesidii causa reliquerat; concursum ad se fieri videt, quod fasces anteferrentur. In hoc omnis multitudo maiestatem regiam minui praedicabat. Non mirum profecto mobilem populum Alexandrinum principibus suis adhaerentem infestis oculis Caesaris in urbem suam introitum vidisse, quippe quem iam anno DCLXXXIX U. C. (65 a. C. n.) in senatu verba fecisse audivissent, ut Aegyptus in formam provinciae redigeretur. Apud Appianum, cum Lucano congruentem, qui dicit Caesarem res cognitione dignas visisse, legimus [2]) *καὶ πρῶτα μὲν ἀπραγμοσύνην τινὰ διὰ τὴν ὀλιγότητα τῶν συνόντων ὑπεκρίνετο. Φιλοφρόνως τε τοὺς ἐντυγχάνοντας ἐξεδέχετο. Καὶ τὴν πόλιν περιιὼν τοῦ κάλλους ἐθαύμαζε καὶ τῶν φιλοσόφων τινὰς τοῦ πλήθους ἑστὼς ἠκροᾶτο ὅθεν αὐτῷ χάρις τε καὶ δόξα ἀγαθὴ ὡς ἀπράγμονι παρὰ τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν ἐφύετο.*

Si quid Dioni Cassio credendum est, Caesar non ausus statim e nave in terram egredi, aliquamdin substitit donec capite atque Pompeii annulo sibi oblatis metum posuit. Idem tradit fasces prae Caesare antelatos Alexandrinos moleste tulisse, eamque

---

1) B. C. III 106.
2) B. C. II 90.

ob causam concursum fecisse, quam metuens Caesar in regiam fuga se recepit. Dionem autem a Caesare differre, ex sequentibus patet, ubi Caesar optime artem reticendi adhibet. Non omnia narrat quae apud Lucanum, apud Livium in Periocha LXII, Florum, Orosium legimus de seditione exorta. Si omnia haec narravisset, num quae contra ius et fas perpetrasset reticere potuisset? Commemorandum fuisset, se magnam pecuniae vim coëgisse, neque a rebus sacris abstinuisse. Tum eum narrare oportuisset, eas iniurias tumultuum causas fuisse, neque tantum amicos regis eos movisse. Sunt autem duo opiniones de bello Alexandrino exorto. Plutarchus [1]) dicit: *τὸν δ'αὐτόθι πόλεμον οἱ μὲν οὐκ ἀναγκαῖον, ἀλλ' ἔρωτι Κλεωπάτρας ἄδοξον αὐτῷ καὶ κινδυνώθη γενέσθαι λέγουσιν, οἱ δὲ τοὺς βασιλικοὺς αἰτιῶνται, καὶ μάλιστα τὸν εὐνοῦχον Ποθεινόν . . . κ. τ. λ.* Deinde Plutarchus hac opinione ductus, Caesari hac saltem in re favisse videtur. Eidem sententiae Livium adhaesisse verisimile est, quandoquidem de insidiis, quas Pothinus molitus est, Orosius loquitur.

Num vero eo iam tempore Caesar rem cum Cleopatra habuerit incertum est; quod tamen nobis a veritate abhorrere non videtur, quum eam feminam procacem et libidinosam, simul etiam *περικαλλεστάτην γυναικῶν ἣ τότε τῆς ὥρας ἀκμῇ ἦν* [2]) ex historia cognoverimus. Hanc igitur rem, dignam quae ab auctore rei amatoriae peritissimo depingatur, imaginationi lectorum relinquimus. Cuius quidem rei studiosis ipse Lucanus luxu domus atque epularum describendo argumentum valde copiosum iam praebuit.

Colloquii, quod poëta Caesarem cum Anchoreo habuisse fin-

---

[1]) Caes. 48.
[2]) Dio Cass. XLII 35.

git, simile exemplum apud Virgilium invenimus. Ut Dido Troianos atque Aenaeam advenientes benigne et comiter accepit, sic Cleopatra hospitio, et quod etiam pluris est, amoris illecebris Caesarem; ut illa de bello Troiano Aenaeam interrogat, ita Caesar de Aegypto eiusque natura et coelo Anchoreum.

Caesari ad mensas Cleopatrae accumbenti insidiatum esse constat, licet tempus, a Lucano indicatum, incertum sit. Velleius Paterculus tantum dicit [1]): „cum venientem eum tentassent ac deinde bello lacessere auderent . . . . . . seqq.". Suetonius aeque breviter rem attingit [2]): „cum Ptolemaeo rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficile gessit, neque loco neque tempore aequo". Proditionem molitos esse omnes regis amicos, Pothinum, Achillam, Theodotum, Ganymeden, et Livius et Orosius et Florus narrant. Dio Cassius de his rebis agens recte monet, Caesarem Cleopatra instigante se controversiis Aegyptiacis immiscuisse. Non enim Caesar verum dicit, ubi narrat se quasi sponte et ultro ad ea accessisse [3]).

Apud Dionem legimus nonnulla, quorum apud Lucanum ne verbo quidem mentionem factam invenimus: sed quae poëta narrat cum Dione fideliter congruunt: exceptis iis quae Lucanus ingenio poëtico indulgens de suo addidit, nulla autem ratione fidei historicae nocentia.

Cum Floro iterum talis consensus cernitur, ut infitiandum non sit ex eodem fonte ambos sumsisse: Dionem Cassium ex Livio hausisse scimus; Florum Livium secutum esse constat, iisque probatur quae in Periocha CXII legimus: nonne conclu-

---

[1]) II 54. 1.
[2]) Div. Iul. 35.
[3]) Dio XLII. 34. 35.

demus Lucanum, qui cum ambobus congruat, Livii quoque auctoritate usum esse?

In sequentibus Lucanus cum Caesare quoque consentit, quod ad summam quidem rei attinet. Achillae copias fuisse neque numero, neque genere hominum, neque usu rei militaris contemnendas apud Caesarem legimus. Vera Lucanus dicit, ubi Achillae milites „Latiam plebem" fuisse refert. Erant Gabiniani milites (quod et Florus ipsis verbis confirmat), qui quum iam in consuetudinem Alexandrinae vitae ac licentiae venissent, nomen disciplinamque populi Romani dedidicerant. Hos milites Gabinius, quum contra librorum Sibyllinorum auctoritatem regem Plolemaeum Auletem restituisset, (MCIC U. c., 55 a. C. n.) bello confecto apud regem reliquerat [2]). Inveteraverant omnes compluribus Alexandriae bellis; usum igitur rei militaris habebant. Iis copiis fisus Achillas Caesarem in arce oppugnavit. Occuparat enim urbem totam praeter eam partem, quam Caesar cum militibus tenebat; nam is dispositis per vias cohortibus impetum Achillae sustinuit. Simul ad portum est pugnatum: idque tanta contentione quanta pugnari opus fuit, quum ille celerem in ea re victoriam, hi salutem suam consistere viderent [3]). Sed Caesar naves etiam eas, quae in navalibus subductae erant, incendit et confestim ad Pharum insulam portui Alexandriae obiectam, quam occupaverat, se recepit. Reliquis quoque oppidi partibus acerrime pugnatum esse Caesar auctor est, idemque narrat filiam minorem natu Ptolemaei Arsinoën vacuam possessionem regni sperantem, ad Achillam sese ex regia contulisse unaque bellum administrare

[1]) Cass Dio. XXXIX 51. Cic. Ad. Att. IV 10. Puteolis magnus est rumor Plolemaeum esse in regno.
[2]) Caes. B. C. III 103.
[3]) B. C. III 111.

coepisse. Achillas postea interfectus esse per eunuchum Ganymeden in libro de Bello Alexandrino narratur, quum Pothinum, qui sese partibus Caesaris studiosum simularet, sed ad Achillam nuntios mitteret eumque cohortaretur ne negotio desisteret, neve animo deficeret, indicatis deprehensisque internuntiis a Caesare interfectum esse, ipse in libri de Bello Civili fine tradat.

Caesarem vix periculo ex tumultu orto evasisse, inter reliquos auctores constat, eodemque modo quo Lucanus, omnes hoc referunt. Orosius fideliter etiam cum Dione congruit, fugam periculi plenam fuisse. Livium hic quoque Plutarcho materiam praebuisse improbabile non est, quandoquidem cum Orosio Plutarchus omnino consentit. Quoniam vidimus quae Livius scripsit de rebus a Lucano in Pharsalia traditis, et quia comparavimus ea, quae sive per sedulos sectatores atque imitatores eius, sive per compilatores Orosium et Florum aetatem tulerunt, cum iis quae Lucanus memoriae prodidit, nemo nobis non facile concedet, mirum in modum Lucanum cum Livio vel cum descriptoribus eius congruere. Non nimium audax igitur coniectura videbitur, quam saepius iam protulimus, Lucanum per totum poëma Livio auctore usum esse, licet fieri possit, quemadmodum nonnumquam indicavimus, ut etiam his atque illic Caesaris Commentarios inspexerit. Sed, ut iam identidem dicta repetam, verisimillimum puto, has quoque partes ex Livio haustas essse, qui in historiis componendis Caesaris Commentariis sine dubio usus est.

Hoc tantum nobis denuo indicandum est: ex reliquiis Livianis, ex Orosio, ex Dione, ex Floro nullo modo colligi potest quo iure Livius ab Augusto Pompeianus vocatus sit. Minime igitur hoc negligendum puto, eum ad eo principe Pompeianum appellatum esse, qui pietate ductus, certe non ab omni ira atque

studio liberum iudicium tulerit. Fieri potest, ut Livius in opere condendo manifestius ostenderit se a Pompeii partibus stare, sed quatenus Livium ex exiguis reliquiis de Bello Civili nobis traditis novimus, diiudicari non potest, utrum nimium indulgens partibus Pompeianis, res personasque his adversas, satis integro aequoque animo tractaverit annon. In Lucano autem vehementer improbandum arbitror quod, quotiescunque fieri potuit, Caesaris famae nocuit gloriamque eius obtrectavit oratione usus acerba atque impetuosa, manifesto odio atque ira abreptus. Accedit quod poëta nonnumquam a veritate recessit, quum id agat, ut heroëm suum laudibus saepe immeritis efferat.

Sed haec vitia Lucani gloriae non officiunt. Tanta enim vi vere poëtica, tanto nitore atque elegantia Pharsalia se commendat, ut iustae ei laudes et honores numquam defutura sint.

CORRIGENDA.

p. 7. pro Saleio Basso, lege: Caesio Basso.
p. 24. in annot. ut Neronem odisset fuerit, delendum: fuerit.
p. 35. wenigsten keine blutigen Lorbeerens, lege: wenigstens — Lorbeeren.
p. 37. ann. prima. intuentes obtut*a*, lege: obtut*u*.
p. 50. *συ τολμᾷς*, lege *σὺ τολμᾷς*.
p. 66. in ann. ararium, lege: aerarium.
p. 80. pro Luc. IV. 102, lege: 402.
p. 89. in annot. dans *d*es harrangues, lege: *l*es h.
p. 92. cum hac narrationem, lege: narratione.

THESES.

THESES.

I.

Florus III. 21. 14. ex Lucano II. 124. 125. hausit.

II.

Neque Quintilianus, neque Petronius de Lucano iudicium tulit, ab ira atque studio remotum.

III.

Lucanum initio libri primi in Neroni blandiendo ironia usum esse, falso v. d. Binet (Edit. Vergil. I. 210.) et Jules d'Argis (Athenée de Verdun pg. 49) contendunt.

IV.

Lucanum Pharsaliam extendere voluisse ad pugnae Philippensis descriptionem maxima probabilitate dici potest.

V.

Aristoph. Ornith. 1511.

εὖ γ' ἐπενόησας αὐτὸ καὶ προμηθικῶς.

Legendum est εὖ γ' ἐνενόησας.

Id. Acharn. 633.

Φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής.

Pro ἄξιος lege αἴτιος.

VI.

Herod. IV. 18 *μετὰ δὲ τὴν ἐρῆμον Ἀνδροφάγοι οἰκέουσι, ἔθνος ἐὸν ἴδιον καὶ οὐδαμῶς Σκυθικόν.*

Pro *Ἀνδροφάγοι* lege *ἀνθρωποφάγοι.*

Id. IV. 127. Emblema *τοῦτό ἐστι ἡ ἀπὸ Σκυθέων ῥῆσις* eiiciendum.

Id. VII. 115. *τὴν δὲ ὁδὸν ταύτην, τῇ ὁ βασιλεὺς Ξέρξης τὸν στρατὸν ἤλασε.*

Expungendum est *βασιλεύς.*

Id. VII. 139. *αὐτοὶ οὗτοι ἦσαν οἱ ἐπεγείραντες καὶ βασιλέα μετά γε τοὺς θεοὺς ἀνωσάμενοι.*

Legendum *ἀπωσάμενοι.*

Id. VIII. 26. *παπαὶ Μαρδόνιε, κοίους ἐπ' ἄνδρας ἤγαγες μαχησομένους ἡμέας, οἳ οὐ περὶ χρημάτων τὸν ἀγῶνα ποιεῦνται, ἀλλὰ περὶ ἀρετῆς;*

Pro *μαχησομένους* lege *μαχεομένους.*

Id. IX. 98. *ἢ γὰρ δὴ λαθόντα τὰ ῥήματα τοὺς βαρβάρους ἔμελλε τοὺς Ἴωνας πείσειν, ἢ ἔπειτα ἀνενειχθέντα ἐς τοὺς βαρβάρους ποιήσειν ἀπίστους τοῖσι Ἕλλησι.*

Pro *ἔπειτα* legendum *ἐκεῖθεν.*

VII.

Plato Rep. I. pg. 336. *ἀλλὰ συστρέψας ἑαυτὸν ὥρπερ θηρίον ἧκεν ἐφ' ἡμᾶς ὡς διαρπασόμενος.*

Lege *διασπασόμενος.*

Id. id. IV. pg. 425 *ἐπανορθούμενοι τὸν βίον διατελέσουσιν.*

Lege *διατελοῦσιν.*

VIII.

Plut. Crass. 12. [*ἀναβὰς ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ*] *προσελθὼν, ὄψιν διηγεῖτο κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ γενομένην.*

Quae uncis inclusi delenda sunt.

Id. Cat. Min. XLI. *Ἐκ τούτου Πομπήιος καὶ Κράσσος ὑπερβαλόντες τὰς Ἄλπεις Καίσαρι συγγενόμενοι, γνώμην ἐποιήσαντο κοινῇ δευτέραν ὑπατείαν μετιέναι, καὶ καταστάντες εἰς αὐτὴν Καίσαρι μὲν τῆς ἀρχῆς ἄλλον τοσοῦτον ἐπιψηφίζεσθαι χρόνον, αὐτοῖς δὲ τῶν ἐπαρχιῶν τὰς μεγίστας καὶ χρήματα καὶ στρατιωτικὰς δυνάμεις·* [*ὅπερ ἦν ἐπὶ νεμήσει τῆς ἡγεμονίας καὶ καταλύσει τῆς πολιτείας συνωμόσια*].

Verba uncis inclusa expungenda sunt.

IX.

Thucyd. I. 53. i. f. *εἰ μὲν ἄλλοσέ ποι βούλεσθε πλεῖν, οὐ κωλύομεν.*

Lege *κωλύσομεν.*

Id. I. 140. *οἷς εἰ ξυγχωρήσετε, καὶ ἄλλο τι μεῖζον εὐθὺς ἐπιταχθήσεσθε ὡς φόβῳ καὶ τοῦτο ὑπακούσαντες.*

Lege *ὑπακούσοντες.*

Id. III. 67. *καὶ οὐκ ἀνταποδόντες νῦν τὴν ἴσην τιμωρίαν.*

Lege *ἀνταποδώσοντες.*

X.

Soph. Antig. vs. 1014:

ἐμοὶ γὰρ οὗτος ἡγεμὼν, ἄλλοις δ' ἐγώ.

Spurius est.

XI.

Xenophon. Cyrop. I. 3. 15. *δοκῶ κράτιστος εἶναι, ὦ μῆτερ, καὶ ἀκοντίζων καὶ τοξεύων.*

Lege *ἀκοντίζειν καὶ τοξεύειν.*

XII.

Tibull. II. 3. 31.

Fabula nunc illest: sed cui sua cura puellast,
Fabula sit mavolt, quam sine amore deus.

Pro cura lege: cara.

XIII.

Ovid. Metam. VII. 657.

parcumque genus patiensque laborum,
Quaesitique tenax.

Lege Propositique.

Id. id. XI. 493.

Ipse pavet nec se, qui sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector, nec quid iubeatve velitve.

Pro velitve scribendum: vetetve

Id. Halieutic. 64.

Et capto fugiens Cervus sine fine timore.

Pro capto legendum: casso.

XIV.

Horat. Satir. II. 4. 59.

nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho.

Pro acri legendum: acris.

Id. Epist. I. 1. 94.

Si curatus inaequali tonsore capillos
Occuri.

Pro curatus lege: curtatus.

Id. Epist. II. 3. 418.

Et quod non didici sane nescire fateri.

Pro sane legendum est: plane.

XV.

Seneca Herc. Fur. 559.

Evincas utinam iura ferae Stygis
Parcarumque colos non revocabiles.

Lege revolubiles.

XVI.

Caes. de B. C. II. 5. 5. Si quid [adversi] accidisset.
Uncis inclusum delendum.

Id. Id. II. 12. 3. Captam urbem suam videre, opera perfecta, turrim subrutam.

Pro perfecta lege: perfracta.

XVII.

Liv. XXIV. 14. 6. postero die signis delatis dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute geri res posset.

Pro vera virtute legendum: mera virtute.

XVIII.

Corn. Nep. Vita Phoc. i. f. in hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire.

Legendum: in hunc fuit....

XIX.

Seneca Epist. CXXII. 6. Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem? non vivunt contra naturam, qui spectant ut pueritia splendeat tempore alieno?

Pro spectant legendum: expetunt.

XX.

Tac. Ann. III. 73. Nam Tacfarinas.... huc arrogantiae venerat.... ut bellum inexplicabile minaretur.

Legendum: bellum inexpiabile.

Id. Id. II. 5. Et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent.

Lege: scaeva vel prospera.

XXI.

Tacit. Germ. XXII. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida.

Pro calida, lege gelida.

Id. id. XXX. Disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare.

Pro vallare noctem legendum: vigilare.

Id. id. XXXIV. Sive adiit Hercules, seu, quidquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus.

Legendum: consuevimus.

XXII.

Tacit. Hist. II. 10. Id Senatus consultum varie iactatum et prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur adhuc terrori. Sed propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere.

Lege: retinebatur. Ad hoc terroris et propria vi....

Id. Id. II. 76. Sed et Nero nobilitate [natalium] Vitellium anteibat.

Verbum uncis inclusum delendum est.

XXIII.

Suet. Div. Iul. 20. unus ex eo tempore omnia in republica et ad arbitrium administrabat.

Legendum: ad arbritrium suum.

XXIV.

Cynici aetate imperatoria non eadem docebant quae Cynici Athenienses.

XXV.

Democriti verba: „μὴ μᾶλλον τὸ δὲν ἢ τὸ μηδὲν εἶναι" spectant ad Heracliti: „πάντα εἶναι καὶ μὴ εἶναι".

XXVI.

Frustra Ueberweg (Grundr. der Gesch. der Phil. I. pg. 97) nos docere conatur Socratem, quum moreretur, annum LXXI^um^ iam explevisse.

XXVII.

Dialogos Platonis quibus sermo inchoatur antiquiores esse quam ii, quibus sermo continuatur, verisimillimum est.

XXVIII.

Augustinus (De Civit. Dei) recte Anaximenis doctrinam iudicat ubi scribit: „Deos ipsos ex aëre factos esse credidit Anaximenes". Falso contra Cicero iudicat, De Nat. Deorum I. 10. 26.

XXIX.

Recte Dr. P. Doetsch (Iuvenal. Ein Sittenrichter seiner Zeit pg. 8): „Die Wahrheit der Darstellungen Iuvenals ist leider im Grossen und Ganzen nicht zu bestreiten, da auch geschichtliche Beweise vorliegen: aber sie muss erst aus den Hyperbeln des Dichters herausgeschält werden, um als Historische Wahrheit gelten zu können".

XXX.

Recte Buckle (Hist. of Civil. in England. III. 192): „The most decisive arguments advanced by Niebuhr against the early history of Rome, had all been anticipated by Voltaire".